



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio XXVI. In Tit XXVI. De Præscriptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

QVÆSTIO XXVI.

IN TIT. XXVI. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

2270. **T**itulo de Exceptionibus, subjungitur hic de Præscriptionibus; quia præscriptio, ut condistincta ab Usucapione, strictè loquendo, est quædam species exceptionis, ut mox dicemus. Nam *præscriptio* strictè, ac propriè loquendo, est exceptio quædam peremptoria, quâ possessor bonæ fidei, post completum tempus jure definitum, rei Dominium, volentem ab illo rem suam repetere, ac jure suo pristino uti, repellere ab actione potest, opponendo illi præscriptionem rei, jam legitime finitam, ut magis constabit in seqq.

ARTICULUS I.

De præscriptionibus in genere.

2271. **S**upponend. quodd præscriptio, quamvis apud Authores Cæsarei juris accipitur pro *exceptione*, tamen apud interpretes canonici, & civilis usurpetur pro *acquisitione* domini ex possessione, tempore, & conditionibus ad id requisitis, & ut sic definiti potest: *est acquisitio domini, vel juris alieni, elisione ex tempore legibus definito proveniens.* Videtur coincidere cum *usucapione*; hæc enim sic definitur à Modestino, *L. 3. ff. Usucap:* est *acquisitio, vel adeptio domini, aut juris, per continuationem temporis lege definiti.* Multi ponunt discrimen inter *præscriptionem*, & *usucapionem*; quodd usucapio, sit rerum mobilium; præscriptio verò, immobilium: at non bene, quia utraq; tam in mobilibus, quam in immobilibus locum habet; melius tamen distinguuntur, si dicamus cum Molina *tom. 1. tit. 2. D. 60.* præscriptionem latius patere, usucapione. Nam præscriptio versatur non solum in iis, quæ per usum *acquiruntur*; sed etiam in iis, quæ per non usum *comparantur*, qualis v. g. extinctio actionis personalis, quam alter mihi intentare poterat, & extinctio servitutis, quam alter habebat in meo prædio; nam contra u-

tramque præscribitur per non usum illorum habentium tale jus: at usucapio, ut constat ex ipsius nominis etymologia, solum habet locum in rebus, quæ *per usum comparantur*, & non in illis, quæ *per non usum.*

2272. Ex hoc sequitur, *præscriptionem* strictè sumptam pro exceptione, ut exposuimus, differre ab usucapione jam definita; 2. si sumatur pro acquisitione domini, vel juris alicujus, adhuc differre ab usucapione, tanquam aliquid latius patens; quia præscriptio sic accepta non tantum contingit, *acquirendo* rei dominium per usum rei tempore legibus definito, exercitum à præscribente; sed etiam *per non usum, prætermittum* ab eo, qui habebat jus ad usum rei pertinentis ad præscribentem, si tempore legibus definito talis usum rei prætermittat; ex hoc enim fit, quodd alter contra talem præscribat, hoc est, per non usum ab onere, cæteròquin incumbente rei suæ, liberetur; id, quodd non habet usucapio, consistens solum *in acquirendo*; præscriptio autem etiam *in se liberando.*

2273. Not. autem præterea, discrimen esse inter consuetudinem, & præscriptionem; nam præscriptio non introducit *jus legale*, sed solum *jus domini*, vel *fruendi*: deinde exigit titulum, & bonam fidem, non verò consensum illius, contra quem præscribitur: at consuetudo introducit *jus legale*, ad quodd exigit consensum populi, vel Principis, sed nec titulum, nec bonam fidem, saltem in principio. Azor *tom. 1 r. l. 5. c. 18. q. 19.* ex Sylvestro V. *consuetudo, q. 22.* utramque sic discriminat: *præscriptio*, inquit, primo consistit in rebus immobilibus tum corporalibus, tum incorporeis; at *consuetudo* solum habet locum in incorporeis, & in servitutibus, jurisdictionibus, & electionibus, & aliis ejusmodi; 2. præscriptione acquiritur Jus privata personæ: at consuetudine non acquiritur jus magis uni, quam alteri, sed toti Republicæ, & Communitati: 3. præscriptio dat jus uni contra jus, quodd alter habet;

habet; at consuetudo dat jus contra legem, vel præter, aut secundum legem.

2274.

Not. 2. quandoquæ dici etiam consuetudinem esse *prescriptam*; per hanc, ut tenet Panormitanus in c. *Non est, de consuet. in 6. n. 7.* nihil aliud significatur, nisi esse obtentam per cursum temporis requisiti ad præscriptionem; ut consuetudo legem inducat, duo requirit, nempe certam frequentiam actuum, qui fiant publicè, & voluntariè, ut populi consensus requisitus innotescat; & certum tempus: quod attinet ad frequentiam actuum, docet Suarez l. 7. de leg. c. 10. n. 3. & 4. nullum certum numerum posse determinari, sed prudentis arbitrio relinquendum esse, ita ut attendi debeat materia, & multitudo occasionum: eam verò frequentiam actuum semper requiri, & sufficere, per quam populi, & principis tacitus consensus innotescat: quod attinet ad tempus, ex mente cit. Authoris c. 15. dicimus sufficere decennium sive ad civilem, sive ad canonicam. Quamvis enim dicatur, quòd canonica requirat spatium 40. annorum; hoc tamen habet locum in iis, quæ sunt contra jus, & non in iis, quæ sunt præter jus; nec refert §. 1. *Instit. de usucap.* ubi requiruntur decem anni inter præsentem, & viginti inter absentes; quia consuetudo populi semper inter præsentem est. Brevius tempus sufficit, ut consuetudo non præscripta indicat jus, quando scientia principis intercedit; id verò prudentis arbitrio committitur. *Solei* quid importet, V. Bart. in l. 1. c. quomodo, & quando iudex. &c. Sed de consuetudine præscripta, & conditionibus ad eam requisitis V. dict. l. 1. tit. 4.

2275.

Not. 3. præscriptionem, prout supponit pro exceptione, usucapionis effectum esse; cum ex illa nascatur; nam hoc ipso, quòd quis rem alienam legitime usuceperit, huic conceditur exceptio rei, dominum in iudicio repetentem repellendi, opponendo ei, usucapionem esse legitime completam, consequenter priori domino, jus, quod in ea re prius obtinuerat, juris dispositione ademptum: prout autem supponit pro usucapione, habere quidem eundem juris effectum, quem usucapio; sed non e contra, ut diximus n. 2272.

2276.

Not. 4. præscriptionem, seu usucapionem, introductam esse jure civili; ut ha-

betur principio *Institut. de usucapionibus*; & approbatam jure canonico; idque propter bonum publicum, ne diu, & ferè semper quarundam rerum dominia incerta essent (L. 1. ff. de usurp. & usuc.) & ut aliquis litium finis esset, L. ult. ff. pro suo, quæ pene immortales forent, si liceret, post diutinam rerum possessionem, eas repetere à bonæ fidei possessoribus; ac, ne possessores ejusmodi prope immortalis timore terreantur, ut ait Justinian. in L. *cum notissimi. 7. in princ. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* dum in perpetuo metu forent, ne res ab ipsis possessæ evincantur: unde fieret, ut nemo auderet fundos colere: tum etiam, ut hac ratione segnities, ac desidia hominum, qui res suas, ac jura in iudicio persequi negligunt, exacuatur, dum ea punitur ademptione dominii, juxta L. 2. C. de ann. except. & c. *Vigilanti. 5. h. t.* ut constabit amplius in seqq.

Ex hoc deducitur præscriptioni, & usucapioni, *legitimè completa* locum esse, non tantum in foro fori, seu externo (ut quis contra priorem dominum in iudicio justè in dominio rei per præscriptionem acquisito defendere possit) sed etiam in foro poli, seu conscientie, ut quis licitè, & absquè omni peccato retineat rem, contra quam legitime præscripsit, & jure utatur, quod inde acquisivit; ita communis: prout pluribus ostendi in *tract. Theol. de jure & just. q. 6. à n. 275.* quod verum est, licet postea finita præscriptione cognoscat, rem non fuisse suam, sed alienam; & ratio est, quia sacri canones non approbant, quod iniquum, vel illicitum est, aut contra conscientiam; at præscriptionem *legitimè completam* quoad suos effectus approbant, quæ facta est *mala fide*, ut habeatur c. *fin. h. t.* ergo.

Pro his, quæ in contrarium opponi possunt, not. 1. per legem positivam, quæ præscriptioni legitime tribuit vim adimendi dominium, & constituit in eo, qui sic præscripsit, concedendo ipsi, ut præscriptione finita rem præscriptam retineat, licet comperiat, rem illam prius fuisse alienam, nihil statui contra jus naturale, quod docet, nullum licitè retinere alienum; quia finita præscriptione res non amplius manet aliena; sed est propria præscribentis, ut constat ex utroque jure.

Not.

2279.

Not. 2. verum esse, quod, qui scit, sententiam iudicis alicui rem aliquam adjudicantis, nisi fundamento, aut præsumptione falsâ, non possit rem illam salvâ conscientia retinere; quia iudex non attribuit dominium absolute, sed tantum sub conditione, si vera sunt allegata; nec condit novum jus, sed tantum declarat antiquum; unde, si in re nullum ante fuit, etiam declaratio nulla est: at præscriptio legitima tribuit rei dominium absolute, & præscribenti constituit novum jus auctoritate publicâ in re præscripta; ergo.

2280.

Not. 3. negandum esse, quod pro foro conscientia esset finis legum, præscriptioni faventium; hic enim finis est, bonum commune, ne diu incerta sint rerum dominia, & inde etiam in conscientia possessores inquietentur, litibus, &c. ut constat ex dict. n. 2276.

Not. 4. concedi, quod nulliter professus, in foro solum externo habeatur pro vere professio, si intra quinquennium contra nullitatem non reclamavit, juxta Trid. sess. 29. c. 19. sed negari hanc illationem: ergo etiam præscriptio valet tantum pro foro externo. Nam in priori volor pro foro interno nascitur solum à vero consensu, quem potestas publica in ordine ad matrimonium spirituale (seu professionem) supplere non potest: at quoad translationem dominiorum rerum temporalium republica habet jus altum; & sic in his, intuitu boni communis, etiam sine voluntate domini, disponere potest.

Ex hoc vides, quod possit alicui, etiam sine suo facto, consensu, & culpa, auferri dominium rei suæ, bono communi id exigente; tunc enim hæc privatio non est pœnalis, sed legalis tantum; hæc autem non supponit culpam. Unde negandum est, segnitiam dominorum in cura rerum suarum esse unicam causam, ob quam præscriptio procedat; patet ex n. 2276. imò etiam in c. *vigilanti*, de præscript. ea non est unica; sed etiam, ut vitetur confusio dominiorum.

Nec ex eo, quod præscriptio habeat vim transferendi dominia, sequitur, quod hoc ipso id habeat *jure nature*; si enim ex eo, quod sit justa, eo ipso foret juris naturalis, omnes leges eo ipso, quod justæ sint, & profint bono communi, forent de jure nature, quod est falsum; non enim, quæ

Tom. II.

profint bono communi, eo ipso omnia lege nature statuta sunt: solum ergo sequitur, esse rationi consonum, ut sub legis obligatione ponantur. Cæterum, quando novellâ. 9. *præscriptio* per Imperatorem dicitur *impium præsidium*, loquitur de temporibus, quibus currebat cum mala fide; Haunold. tr. 5. de just. n. 166.

Not. 5. non rectè dici, usucapionem, vel præscriptionem esse contra jus nature præceptivum, vel prohibitivum, nam nulla dispositio humani iuris, adversus illud prævalere potest, ut ostendimus tit. 4. de consuetud: secus est, si tantum sit permissivum; unde negandum est, communionem, & divisionem bonorum esse de jure nature præceptivo, vel prohibitivo; sic enim sacri canones, & justæ Principum leges, quæ amore boni publici, & communis approbant præscriptionem, approbant id, quod est appositum juri nature; quod rectè dici non potest.

Not. 6. quando dicitur, neminem locupletari debere cum alterius detrimento, & injuriâ, per reg. 209. ff. de reg. juris; & reg. 48. eod. in 6. verum esse, quod id nunquam liceat, si contingat cum injuria, vel injustè; sed negari, quod, qui virtute præscriptionis, legitime completa, acquirat dominium sive directum sive utile, aut quodcunque jus, quod prius erat alterius, *injustè* locupletetur cum alterius injuria; nam quod uni privato propter publicum, & commune bonum adimat dominium suppositis iis, quæ requiruntur ad legitimam præscriptionem, ritè completis, & in altero quantumvis privato constituatur, seu dispositione juris attribuat, fieri ex justissimis causis, & consequenter justè, ac sine illius injuria, utroque jure certum est.

Not. 7. quamvis verum sit, tempus non esse *modum* inducendæ, vel tollendæ obligationis, ut dicitur L. *obligationum*. 44. §. 1. de obligat. & action. negandum tamen, præscriptionem vim suam habere *ex solo cursu temporis*; aliud est, quod præscriptio, supposito *tanti temporis* cursu cum possessione bonæ fidei, & justo titulo continuatæ, vim adimendi dominium uni, & attribuendi alteri, habeat ex, vel à decursu temporis, *tanquam principio* constituyente illi hanc vim; aliud quod

Ffff

autho-

authoritate juris publici supposito tanti temporis cursu cum reliquis, *tanquam conditione*; primum omnino negandum est? & secundum concedendum; sed de hoc non procedit citata lex 44. sed de primo.

¶ I.

Quinam possint præscribere, & contra quos;

2284.

Regula est, quòd omnes, qui sunt capaces acquirere dominium, vel jus alicujus rei, possint præscribere, seu usucapere; prout colligitur ex L. 4. §. 1. ff. de usurpat. & usucap. & ratio est; quia *usucapio est adjectio* (seu acquisitio) *dominii per continuationem possessionis tempore lege definito* ut dicitur L. 3. ff. eodem: ergo potest præscribere, seu usucapere, qui potest dominium acquirere. Ex hoc sequitur quòd juxta dictam legem 4. usucapere possit; *Paterfamilias*; item *filiusfamilias*, in iis tamen solum iste, quorum dominium habere potest, ut sunt bona profectitia, castrensia, & quasi castrensia. Questio autem est, an præscribere, seu usucapere possit pupillus? 2. infans? 3. furiosus? 4. amens? 5. servus? 6. Clericus? 7. rem possidens precario?

2285.

Ad 1. Resp. posse non tantum cum, sed etiam sine Tutoris autoritate; prima pars est ex L. *sequitur*. cit. §. 2. ibi: *pupillus, si Tutore auctore caperit possidere, usucapit*; ratio secundæ partis est; quia etiam sine illo, si doli capax sit, & pubertati proximus, potest rem corporaliter apprehendere, habendi ut suam, saltem in commodum, & utilitatem propriam, ut notat gloss. in cit. §. 2. V. *Pupillus*, de quo statim. Ad 2. Resp. non posse, nisi Authore Tutore; nam sine hoc possidere non potest; at sine possessione præscriptio non procedit; ergo. Ma. est ex L. *Quamvis*. 32. §. *Infans*. 2. ff. de acquirend. possess. ibi *Infans possidere rectè potest, si tutore auctore cepit*: nam iudicium infantis suppletur auctoritate Tutoris? utilitatis enim causa hoc receptum est: nam alioquin nullus sensus sit infantis accipiendi possessionem. Pupillus tamè etiam sine Tutoris auctoritate possessionem nancisci potest. Item infans peculiari nomine per servum possidere potest. Ad 3. Resp. quòd sic, si dum esset sanæ mentis, possidere cepit; constat ex cit. L. 4. §. 3. ibi: *Furiosus, quod ante furorem possidere cepit, usucapit*. Sed hæc persona ita

demum usucapere potest, si ex ea causa possideat, ex qua usucapio sequitur, Tamen si enim à tempore possessionis legitime cceptæ, usquè ad finem temporis lege definiti duret in furia, vel amentia, per hoc tamen possessionem non amittit; ex quo patet etiam ad 4. Ad 5. Resp. cum servus non sit capax sibi acquirere, nec suo nomine possidere, illum etiam nec posse præscribere, seu usucapere; nam possessione præscriptio non procedit, ut constabit ex seqq. Ad 6. Resp. ex 16. q. 4. c. *Clerici*. 11. ubi dicitur: *Clerici quilibet, quantacumq; diuturnitate Temporis, de Ecclesia remuneratione aliqua possederint, in jus proprium præscriptione temporis non revocentur; dummodo pateat, Ecclesie rem fuisse: ne videantur etiam Episcopi tempore administrationis prolixæ, aut precarias, cum ordinati sint, facere non debuisse, aut diu retentas in jus suæ proprietatis posse transcribere*. Sed hoc procedit solum de bonis beneficiorum, & Ecclesiarum, quæ possident. Ad 7. Resp. quòd non; nam, qui rem non suo; sed alieno solum nomine possidet, non potest usucapere, seu præscribere, ut notat gloss. in dict. c. 11. V. *in jus proprium*; ut constabit ex seq.

2286.

Ad alteram Tituli partem &c. generaliter contra illas personas præscribi non posse, quæ non possunt stare in iudicio, agendo, jura sua tuendo &c. nam *præscriptio non currit, non valenti agere de jure*, L. 1. §. *ne autem*. C. de annali exceptione. Hæc regula proficiscitur à ratione naturali, propter quam non est conveniens, ut is pœnam, vel jacturam patiat, qui nullam culpam vel negligentiam commisit; Baldus in Authent. *Nisi triennale*, C. de bonis matern. junctâ gloss. V. *apparuerint*. Unde Sichardus in Cod. l. 3. Tit. 28. de inoffic. testam. in L. 14. & 16. n. 10. fol. 178. rectè docet, quòd *præscriptio non currat ei, qui non est negligens*: at quando quis agere non valet *de jure*, non est negligens; quis enita inculcare eos poterit, si hoc non fecerint, quod, etsi maluerint, *minimè adimplere lege obviante valebant*, ut ait Imperator in cit. L. 1. §. 2. *Ne autem*. Ex hoc infert Baldus in cit. Authent. *Nisi*, quòd, si statutum dicit, ut eis currat præscriptio, quæ sua debita non exegerint intra decem annos, ei non currat præscriptio, qui agere impeditus est; quia

quia illa regula est naturalis; nec naturalis æquitas patitur, ut ibi sit pœna, ubi non est negligentia; sic Bald. cit. apud Barbof. l. 14. axiomat. c. 64. n. 4. Sic contra Mulierem non currit præscriptio, si soluto matrimonio agat pro dote, durante matrimonio à Viro alienata; quia constante matrimonio per leges agere non potuit pro dote, nisi in unico casu, quo scivisset Virum vergere ad inopiam; Sichardus cit. in Cod. de jure dotium tit. 12. l. 5. §. is autem à n. 1. fol. 615. Sic contra annalem actionem injuriarum non præscribitur, esto annus à die illatæ injuriæ elapsus sit, si injuriatus primùm habuit notitiam injuriæ ab uno, vel altero mense; quia priùs agere non valuit; Sichardus cit. quia est de substantia injuriæ, revocatam esse ad animum, seu innotuisse.

2287. Ex hoc collig. quando quis per leges impeditur ab agendo certo tempore, eo tempore præscriptionem non currere, ut patet ex cit. L. 1. sic Ludovic. Gomez ad §. Rursus Instit. de actionib. num. 14. apud Barbof. n. 3. Collig. 2. quòd illa regula (non valenti, seu impedito agere) procedat in impedimento juris; sic Atetinus in L. pacta novissima 10. L. 2. C. de pactis, apud Barbof. cit. n. 3. Jafon in §. 3. Item si quis in fraudem, instit. de action. n. 87. Pirhing. de præscript. num. 132. ubi impedimentum juris explicat per impedimentum intrinsecum. Collig. 3. contra non valentem agere solùm propter impedimentum extrinsecum, seu facti; currere præscriptionem; nam lex 1. cit. clarè loquitur de impedimento per legem; hoc tamen Corolarium sic aliqui generaliter admittunt, ut procedat, sive impedimentum facti sit justum, & sine culpa; sive injustum, ex §. Rursus instit. de actionib. sic tamen, ut justè impeditus restituatur in integrum, per L. 1. ff. Ex quibus causis Majores; sic Abbas in c. Ex transmissa, de præscript. n. 13. Felinus ibid. num. 8. Cœterùm Barbofa in cit. c. Ex transmissa, n. 6. judicat, impedimentum facti generale, & notorium, quoad effectum impediendi cursum præscriptionis, æquivalere impedimento juris.

§. II.

Quæ res possint esse materia præscriptionis?

2288. Supponendum, non omnes res præscribi, aut usucapi posse; quasdam, quæ ex natura rei non recipiunt condiciones ad legitimam præscriptionem requisitas; alias ex speciali dispositione juris; ejusmodi res impræscriptibiles dicuntur vitiosa, nimirum laborantes vitio, seu inhabilitate passivâ, vel naturali, vel legali, ut præscribantur, seu usucapiantur; quo posito: regula communis est, omnes res corporales tam mobiles, quàm immobiles, carentes vitio, ut dictum est, præscribi, seu usucapi posse; dixi corporales; nam incorporales, sicut solùm quasi possideri, sic etiam quasi præscribi, & usucapi possunt, hoc jurè pariter introducto publicæ utilitatis causâ; colligitur ex L. usucapionem 9. ff. de usurpat. ibi: usucapionem recipiunt maximè res corporales; & L. fin. C. de præscript. longi temp. ibi: eodem observando, eise res non soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt, veluti usufructus, & cetera servitutes.

2289. Quæstio igitur est, an præscribi possint res Sacra, religiosa, publica? Sacra, nimirum ad cultum Dei consecratæ, & Sacris usibus applicatæ, cujusmodi sunt Temppla, Sacella, Cæmeteria, vestes Sacra, cinerum conditoria; religiosa, & publica, ut plateæ, forum, pontes, publicæ viæ, &c. & generaliter quæ non sunt in hominum commercio, seu bonis privatorum. Si enim nemo potest earum Dominus esse, quomodo poterit præscribere; cùm præscriptio sit adjectio Domini? quo posito: Resp. quòd non, quia laborant vitio naturali; cùm in nullius dominio esse possint; & habetur etiam L. 9. ff. de usucap. ibi: usucapionem recipiunt, maximè res corporales, exceptis rebus Sacris, Sanctis, publicis populi Romani, & civitatum, item liberis hominibus; & §. Sed aliquando. 1. instit. de usucapionib. ibi: sed aliquando etiam si maximè quis bona fide rem possederit; non tamen illi usucapio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem Sacram, vel religiosam,

sum, vel servum fugitivum possideat.

2290.

Cum autem in his juribus numeretur etiam *liber homo*, tanquam, qui nullo unquam tempore præscribi possit, ut fiat *servus*, etiamsi possessor bonâ fide illum emerit, putans esse servum; dubitatur, an libertas ex natura rei præstet ei hoc vitium, seu passivam inhabilitatem? an solum jure positivo? videtur enim affirmandum hoc postremum, primò, quia in plurimis juris textibus habetur, *liberum hominem bonâ fide possideri*; quæ possessio suos etiam juris effectus habet, v. g. quòd illius venditio valeat; cur non ergo posset lex permittere, contra talis hominis libertatem præscribi, cum defacto ratam habeat venditionem hominis liberi, quando se permittit vendi, ut de pretio participet? Deinde, servus præscribere potest libertatem contra Dominum, si per 20. annos bonâ fide gesserit se pro libero, etiam sine titulo libertatis; cit. *L. ult. C. de long. temp. &c.* & ibi gloss. V. *bonâ fide*; & V. per 20. idquè favore libertatis statutum est. Alii tamen dicunt, quòd inter præsentem etiam 10. annis præscribi possit libertas, ne deterior sit conditio libertatis, quàm aliarum rerum; ut refert gloss. *fin. ibid.* & quia saltem in aliis legibus conceditur brevius tempus ad præscribendum præsentibus, quàm absentibus. Pro negativa verò faciunt prædictæ leges, quæ prorsus eodem modo rebus, quæ præscribi non possunt, annumerant *liberum hominem*, sicut alias res Sacras, religiosas, publicas; sed hæc præscribi non possunt ex vitio naturali; ergo & liber homo. Ratio autem videtur ex eo, quia, cum præscriptio vim suam habeat jure solum positivo, nimirum autoritate Legislatorum, quibus inest potestas, & Dominium altum cum jure disponendi circa bona privatorum in & propter bonum publicum; illa solum privatorum bona, spectatâ rei naturâ, suberunt præscriptioni, quorum Dominium altum est penes Legislatorem; at hujusmodi Dominium in *liberum hominem*, non habet, ut colligitur ex cit. LL. ergo. Ad rationes in contrarium Resp. ex eo, quòd homo liber in sui venditionem consentiat, & fiat servus, non rectè argui ad casum præsentem; quia homo est suæ libertatis Dominus. Ad alteram Resp. cum omnes ho-

mines nascantur naturâ liberi, rectè concedi servo, favore libertatis, ut præscriptione possit se liberare à servitute; cum per hoc redeat ad nativam libertatem, non autem, ut libertatem perdat, nisi fortè alio titulo, qualiter contingit, cum capti bello justo, evadunt servi, poenâ mortis (quam victores inferre captis possent) commutatâ in quid mitius, nimirum servitutem; facilius indulgeri potest, ut quis reducat se ad commune bonum naturæ; quàm illi eripatur; unde præscribendo libertatem, non operatur præscriptio *acquisitionem*, sed *liberationem*; secus foret, præscribendo servitutem contra liberum hominem. Ex dict. sequitur, res publicas (quæ scilicet ad usum publicum, & commodum omnibus commune deputatæ sunt (ut sunt viæ publicæ, plateæ, fora, &c.) nec in totum, nec in partem præscribi posse; nam hæc à privatis possideri non possunt, *L. 1. §. fin. ff. de acquirend. possiss. ibi: forum autem, & Basilicam, hisquè familia, non possident, sed promiscue habitantur*; loquitur autem de Municipibus.

§. III.

An decimæ præscribi possint à Laicis?

2291.
UT nimirum ipsis jure persolvi debeat? sententia communis est negativa, ex c. *Causam 7. h. t.* ubi, cum inter Reginensem Archid. & quendam Nobilem Laicum, causa decimarum, verteretur in iudicio; Pontifex Episcopo Parmensi commisit, ut partes ad suam præsentiam convocet, & rationibus auditis diligenter, & cognitis, contradictione, & appellatione remotâ causam ipsam debito fine decidat, *non obstante præscriptione temporis*, vel concessione Ecclesiasticæ, sæcularisve personæ, si idem Nobilis eam opponere voluerit; rationem ibidem reddit Pontifex; *quia, cum Laici decimas detinere non possint, eas nullâ valent præscribere ratione*: ex quo textu communiter deducitur hæc conclusio: *Laici, jus percipiendi decimas, præscriptione acquirere non valent*; id, quod probant etiam textus in c. 1. 16. q. 7. c. *pervenit. 1. q. 3. c. ad hæc, c. quam*

quàmvis, c. prohibemus, de decimis, c. fin. de rerum permut. c. fin. 10. q. 3. & habetur etiam c. Ad hæc 15. de Decimis, ubi dicitur, quod Laico decimæ concedi non possunt per successionem; & si taliter acceptas dimittere non velit, per excommunicationem cogendus sit.

2292. Difficultas non est, si sermo sit de decimis Ecclesiasticis; nam jus percipiendi ejusmodi decimas, est spirituale; nimirum dependens à Sacramentorum administratione, cujus Laici capaces non sunt; aliqui tamen volunt, decimam in c. causam 7. h. t. quod Laici non possent jus decimarum præscribere, quod eas detinere, seu possidere non valeant, non agere solum de decimis spirituali, sed etiam temporali titulo percipiendis; quia textus de his præcipue agere videtur, ut tradit Barb. in dict. c. Causam n. 3. quia credibile non est, nobilem virum, de quo hic, cum esset Laicus, prætereundum voluisse jus spirituale percipiendi decimas; cujus ex ipsa lege divina incapax esse noscitur, nec Pontificiam legem casum decidere adeo indubitabilem, contra reg. text. in L. Labeo, junct. gloss. 1. ff. de Carboniano edito.

2293. Ex his deducit communem resolutionem, quod textus dicti c. causam. procedat in omnibus decimis, quocunque titulo, etiam temporali, à Laico percipiendis, ut multis argumentis ex professo comprobant Beronius, conf. 21. à num. 18. Covar. & alii, quos refert Guttier. pract. l. 1. q. 16. & omnes alii cum Suarez. de Relig. l. 1. de decimis, c. 27. à n. 1. quia Concilium Lateranense, juxta communem sententiam, simpliciter, & directe prohibet, ne decimæ Laicis quocunque titulo concedantur à Prælati inferioribus in feudum, vel alio titulo temporali: ubi autem lex simpliciter aliquid alienare, vel acquirere prohibet, prohibita etiam præscriptio censetur, juxta vulgarem allegationem textus in L. si fundus ff. de fundo dotali. L. alienationis 28. ff. de verb. signif.

2294. Not. autem ea, quæ diximus de decimis non præscribendis à Laico, debere intelligi de decimis Ecclesiarum, ut illæ à Laicis præscribi non possint etiam titulo temporali; 2. quod, ubi Laicus convenitur super ejusmodi decimis, non possit se tueri opponendo præscriptionem (quia nec

temporali titulo eas jure possidere valet, ut constat ex c. causam, & c. ad hæc, de quo supr. ibi: per successionem tenendam; fecus autem opponendo Privilegium à Pontifice summo datum; ac id legitime probari possessione temporis immemorialis; nam Privilegium est titulus justificandi possessionem decimarum Ecclesiæ; non autem præscriptio, quia possessio earum (secluso Privilegio) vitatur ex inhabilitate subjecti, ut dictum est.

Ex hoc colligitur, quod Laicus, in causa decimarum Ecclesiæ (quarum jus sibi competere præterdit) succumbere debeat, si immemorabile tempus in vim præscriptionis allegaverit, & tamen tuendus, si in sua possessione Privilegium Romani Pontificis alleget, & in probationem ostendat possessionem temporis immemorialis; ita Covar. l. 1. variar. c. 17. n. 5. §. sed si dubitetur; Suarez de Relig. l. 1. de decimis c. 27. n. 4. & alii; ubi tamen Rebuffus de decimis q. 13. n. 69. & alii existimant, ultra tempus immemorabile requiri etiam famam concessi Privilegii, quod tamen opus non esse, censet Suarez cit.

Quæstio ulterior est 1. an, si Laicus legitima concessione (v. g. Privilegio Papæ) obtinuit decimas Ecclesiæ (in feudum v. g.) alius Laicus eas contra illum præscribere possit? 2. an Laicus jure decimarum spoliatus, ante omnia restituendus sit? 3. quo sensu procedat dictum in c. 7. h. t. quod Laici decimas detinere non possint? 4. an Laici præscribere possint immunitatem à decimis solvendis? Ad 1. Resp. quod sic, si eas Laicus ab Ecclesia obtinuit, legitima concessione titulo v. g. feudi, vel alio taltem perpetuo; nam per ejusmodi legitimam concessionem evadunt quasi Laicales, & patrimonium Laici; in Laicalibus & profanis autem locus est præscriptioni; ergo. Ma. constat, quia mutata personæ possidentis conditione, mutatur etiam ipsorum bonorum conditio; habetur in c. Si Laicus. 1. de jure Patronat. in 6. §. Verum, ubi dicitur, quod, licet Patronus Laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat: Ecclesia tamen (vel Monasterium, cui facta est à Laico juris Patronatus collatio) tempus habeat semestrem. Et omnino, quantum ad præsentationem pertinet, non ut Patronus

Laicus, sed ut Patronus debeat Ecclesiasticus reputari; & L. per Curatorem 90. ff. de acquirenda hereditate, §. 1. ibi: idem (Paulus) respondit, si jussu Avi nepos, Patris, qui de castrensi peculio testamentum fecit, hereditatem adisset, adquisisse ei ea, de quibus Pater testari potest: quia castrensis esse mutatione persona deserint; & ita tenet Felinus in c. causam 7. h. t. num. 4. & alii.

2297. Ad 2. Resp. quando spoliati assistit jus commune, & resistit spoliato, isti non concedi restitutionem; colligitur ex c. Ad decimas 2. de restit. spoliat. in 6. ubi Canonici S. Nicolai, per Clericos Ecclesiæ Parochialis spoliati possessione decimarum ex prædiis intra Parochiam existentibus, non sunt restituti, propterea, quod contra dictos Canonicos erat juris præsumptio, quod decimas in aliena Parochia injustè acquisiverint, & pro Ecclesia Parochiali ad eam de jure communi pertineant; quo habetur, quando restitutio quaeritur contra Ecclesiam Parochialem, non fieri restitutionem, ubi spoliato jus commune resistit, & spoliati assistit; secus si non assistat spoliati, esto resistat spoliato; nam, ut eo casu negetur restitutio, utrumquè requiritur ex dict. c. ad decimas; consequenter locus est rigori juris, in c. in literis, de restit. spoliat. sic Covar. l. 1. variar. c. 17. & alii.

2298. Ad 3. Resp. hoc sensu: quod Laico in judicio non profit pro sui defensione ad retinendas decimas, super quibus lis erat, tamen alleget præscriptionem temporis; cum ad præscriptionem legitimam requiratur non tantum tempus, jure definitum, expletum esse; sed etiam tanti temporis detentio seu possessio; Laici autem decimas detinere, seu possidere, non possunt; quibus non tantum habetur, præscriptionem non procedere sine possessione; ut pluribus dicemus in seqq. Sed etiam à Laico decimas (quarum nempe jus est penes Ecclesiam) non posse possideri.

2299. Ad 4. Resp. posse, modò id fiat cum titulo, & continuata possessione non solvendi per tempus jure definitum, ut præscriptioni, quoad secundum effectum suum (qui est inducere liberationem à debito, ut diximus n. 2272.) locus sit. Nam, esto non possit Laicus præscribere decimas, præscriptione acquirente illi, seu inducen-

te in illum, jus decimandi; non tamen sequitur non posse præscribere decimas præscriptione liberante illum ab onere, seu obligatione solvendi decimas; nam ad hoc non requiritur possessio juris decimandi, propter quod illud Laicus præscribere non potest, acquirendo; ut constat ex dict. c. causam 7. h. t. an autem jus patronatus præscribi possit à Laico, diximus l. 3. tit. 38. de jure patron.

Ex hoc deducitur, etiam census annuos, debitos ex contractu oneroso, legato, vel simili titulo, præscribi posse, præscriptione liberante à debito solvendi, si tempus ad hoc jure definitum completum sit cum cæteris ad hoc requisitis, ut præscriptio inducat hunc effectum suum secundarium, de quibus dicemus à num. 2330. nam, possidere immunitatem à solutione census annui, non est extra Laicorum habilitatem; & hoc procedit de liberatione à solvendis censibus pro tempore antecedenti debitis, postquam elapsi sunt 30. anni à die, quo venit tempus exigendi quovis anno. Nam, ut dicitur L. cum notissimi 7. §. fin. C. de præscript. 30. annor. in his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, que dationem per singulos annos, vel menses, aut aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusquè anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est. Dixi, à solvendis censibus pro tempore antecedenti debitis; quæstio est, an etiam à futuris? Resp. id probabilius affirmari ex c. de quarta 4. h. t. ibi: de quarta decima, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi quadragesimali præscriptione temporis se posse tueri videtur; nisi fortè interim pastoralis Sedes cœruisset Pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset; nam Romana Ecclesia triennalem præscriptionem contra Ecclesiam non admittit; nam ex hoc textu habetur, etiam contra solutiones futuras ex debito cæteròquin præstandas posse quem liberari præscriptione.



§. IV.

An res furtiva sint idonea materia præscriptionis?

2301. **S**upponend. jure civili olim constitutum fuisse, ut, qui bonâ fide ab eo, qui Dominus non erat, cum crederet eum Dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliavè quavis justa causa acceperit, is eam rem, si mobilis erat, *anno ubique uno*: si immobilis, *biennio* tantum in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent: postea tamen, ne domini maturius suis rebus defraudarentur, constitutum esse, ut res quidem mobiles *per triennium*; immobiles verò *per longi temporis possessionem* (id est, inter præsentis decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur, & his modis non solum in Italia, sed etiam *in omni terra*, quæ Romano Imperio gubernatur, dominia rerum, justa causâ possessionis præcedente, acquirantur; sic habetur. §. *Jure civili insit.* de Usucapionib.

2302. Suppon. 2. ab hac generalitate *cit. loc.* fieri quasdam exceptiones, ut in quibusdam rebus nullo modo, aut tempore procedat usucapio, etiam cum possessione bonæ fidei, prout est *in libero homine, re Sacra, vel religiosa, aut servo fugitivo*, de quo ibid. §. *sed aliquando*. 1. in aliis autem solum tempore ordinario; & inter has numerari *res furtivas, vel vi possessas*, de quibus *loc. cit.* §. *Furtiva* 2. sic loquitur: *furtiva quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessa fuerint, usucapi possunt: nam furtivarum rerum, lex duodecim tabularum, & lex Atilia inhibent usucapionem: vi possessarum, lex Julia & Plantia; ubi §. 3. subjungitur: quod autem dictum est, furtivarum, & vi possessarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet, ut ne ipse fur, quivè per vim possidet, usucapere possit* (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet *malâ fide possident sed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat*. Unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bonæ fidei possessoribus

usucapio competat. Nam qui sciens, alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum ejus committit.

His subnectitur limitatio in §. 4. ubi dicitur, quòd *aliquando id se aliter habeat; nam si hæres, rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: quin utique hæres, qui bona fide tanquam suam alienaverit, furtum non committat; item, ut habetur §. 5. si is, ad quem ancillæ ususfructus pertinet, partum suum esse credens vendiderit, aut donaverit, furtum non committit: furtum enim sine affectu furandi non committitur; tertio, §. 6. aliis quoque modis accedere posse, ut quis sine vitio furti, rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, ut à possessore usucapiatur; & §. 8. aliquando etiam *furtivam, vel vi possessam rem* usucapi posse; veluti, si in Domini potestatem reversa fuerit; tunc enim vitio rei purgato, procedit ejus usucapio. Demum subjungitur annotatio §. 10. ibi: *novissimè sciendum est, rem talem esse debere, ut in se habeat vitium, ut à bonæ fidei Emptore usucapi possit, vel qui ex alia justa causa possidet.**

2304. Suppon. 3. vitium, quo res furtiva rediditur impræscriptibilis, etiam à possessore bonæ fidei, cum hoc solum sit ex dispositione juris civilis; ejusdem juris dispositione purgari possessione 30. vel 40. annorum, prout habetur ex *L. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* ibi: *sicut in rem speciales, ita de Universitate, ac personales actiones ultra 30. annorum spatium minimè protendantur*: sed si qua res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicumque actione, vel persecutione pulsatur, *nihilominus erit agenti triginta annorum præscriptio metuenda*. Eodem etiam jure, in ejus persona valente, qui pignus, vel hypothecam non à tuo debitore, sed ab alio per longum tempus possidente, nititur vindicare. *Quæ ergo ante non motæ sunt actiones, 30. annorum juri silentio, ex quo jure competere ceperunt, vivendi ulterius non habeant facultatem: nec sufficias precibus oblati speciale quoddam* (licet per an-

annotationem) promeruisse responsum, vel etiam in iudiciis allegasse: nisi allegato Sacro rescripto: aut in iudicio postulatione deposita, fuerit subsecuta per executorem conventio: non sexus fragilitate, non absentia, non militia contra hanc legem defendenda, sed pupillari aetate duntaxat (quamvis sub Tutoris defensione consistat) huic eximenda Sanctioni. Nam cum ad eos annos pervenerint, qui ad sollicitudinem pertinent Curatoris, necessarii eis similiter, ut aliis, annorum 30. intervalla servanda sunt. Hæ autem actiones, annis triginta continuis, extinguantur, quæ perpetuæ videbantur; non illæ, quæ antiquis temporibus limitabantur. Post hanc verò temporis definitionem nulli movendi ulterius facultatem patere censemus, etiam si se legis ignorantiam excusare tentaverit; ubi nota, ad verbum vivendi, observari per gloss. ibid. lit. S. actiones dici vivere; iisque suam vitam esse, dum scilicet extinguantur.

2305.

Item L. omnes 4. ibi: omnes nocendi quibuslibet modis artes omnibus amputantes, cunctas quidem temporales exceptiones, quæ ex vetere jure, vel ex principalibus decretis descendunt, tanquam si per hanc legem specialiter, ac nominatim fuissent enumeratæ, cum suo robore durare, & suum cunctis, quibus competunt, vel in posterum competere valuerint, pro suo videlicet tenore præsidium in perpetuum deferre decernimus. Quicquid autem præteritarum præscriptionum vel verbis, vel sensibus minus continetur, implentes, per hanc in perpetuum valituram legem sancimus, ut si quis contractus, vel si qua sit actio, quæ cum non esset expressim supradictis temporalibus præscriptionibus concepta, quorundam tamen vel fortuita, vel excogitata interpretatione sape dictarum exceptionum laqueos evadere posse videatur: huic saluberrima nostra Sanctioni succumbat, & 40. annorum curriculis procul dubio sopiatur, nullumquæ jus privatum vel publicum in quacunque causa, vel quacunque persona, quod prædictorum 40. annorum extinctum est jugi silentio, moveatur: sed quicumquæ super quolibet jure, quod per memoratum tempus inconcussum, & sine ulla re ipsa illata judiciaria contentione possedit, superquæ sua conditione, qua per idem tempus abs-

quæ ulla judiciali sententia simili munitione potitus est, sit liber, & presentis saluberrimæ legis plenissima munitione securus.

Ex his deducitur, res furtivas, & vi possessas, non esse simpliciter impræscriptibiles; sed tantum tempore ordinario, nimirum, dum purgantur à vitio, quod fit possessione bonæ fidei 30. vel 40. annorum; dixi, non præscribi tempore ordinario, nimirum 3. 10. vel 20. annorum, ut constat ex §. furtivæ, ibi: prædicto longo tempore possessæ; quia tunc adhuc adhæret illis vitium furti, vel violentiæ; secus, possessione bonæ fidei continuata per 30. vel 40. annos, propter rationem contrariam; tunc enim omnis actio extinguitur, L. Sicut 3. & L. omnes 4. C. de prescript. 30. vel 40. annorum.

Deducitur 2. rem furtivam; aut vi possessam, cum rediit ad Dominum, ab alio bonæ fidei possessore præscribi, deinde posse tempore ordinario; quia per eum reditum purgantur à vitio, ut constat ex §. aliquando, de quo n. 2303. notand. autem, rebus furtivis hic annumerari non tantum illas, quæ furto ablatae sunt; sed etiam quasvis alias res alienas, dummodo illæ fuerint mobiles, easquæ venditor sciens prudens distraxerit, contra Domini voluntatem: talis enim furtum committere censetur, ac proinde mala fides venditoris, vel ex alia causa alienantis, ac tradentis huiusmodi rem furtivam efficit, ut nequæ à tradente, nequæ ab eo, qui bona fide accepit, ac possidet, usucapi possit, §. quod autem in fine instituit. de usucap. cujus ratio est ex gloss. in cit. §. quod autem, v. competat, dicente, quod vitium rei comitetur rem, ad quemcunque ea pervenerit, sive quicumquæ rem occuparit, L. 1. & L. Sciens 7. C. de usucap. proempt. L. 2. C. de usuc. pro donat.

Deducitur 3. inter eum, qui sciens alienam rem vendit; ac illum, qui ignoravit alienam esse, discrimen poni, quod in primo casu (cum committatur vitium furti; non in secundo) res emptæ bona fide præscribi non possit ab emptore in primo; secus in secundo; ratio sumitur ex tit. præfenti; & statim sequenti. Nam, qui rem alienam bonâ fide emit ab hærede illam vendente, qui credebat, eam hæreditariam esse, illam usucapere potest, ut dici-

tur

tur §. 4. *instit. de Usucapionib.* Ex hoc ulterius habetur ad usucapionem in rebus mobilibus requiri bonam fidem dantis, & accipientis, ut habetur *L. 1. & 2. C. de usuc. pro donat.* in immobilibus autem sufficere bonam fidem possessoris; nam in his, quæ sunt soli, furtum non committitur.

§. V.

An præscribi possint res dotales? res alienari prohibita testamento? res pupillares? &c.

1309. **P**rima quæstio est de fundo dotali, an præscribi possit præscriptione longi temporis? quæstio fieri potest, an, si cæpit præscriptio ejus prius, quam evaserit dotalis; an primum postquam factus est dotalis? quoad primum affirmandum; quoad secundum negandum est ex *L. si fundum. 16. ff. de fundo dotali*, ibi: *si fundum, quem Titius possidebat, bona fide, longi temporis possessione poterat sibi querere, mulier ut suum marito dedit in dotem: cumque petere neglexerit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit;* nam licet lex Julia, quæ vetat fundum dotalem alienari, pertinet etiam ad hujusmodi acquisitionem: non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus fit, si, antequam constitueretur dotalis fundus, jam cæperat; plenè si paucissimi dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuissent: nihil erit, quod imputabitur marito; ubi glossa lit. P. si fundus, inquit, quem alius præscribere incepit, à muliere datur in dotem, præscriptio non interruptitur: sed, & præscriptio viri periculo perficitur, nisi paucissimi dies interfuerint ad perficiendam præscriptionem, quo tempore fundus in dotem datus fuit.

1310. Altera quæstio est, an aliæ res dotales mobiles triennio præscribi possint? Resp. de his agi *L. in rebus dotalibus. 30. C. de jure dotium*, ibi: *omnis autem temporalis exceptio, sive per usucapionem inducta, sive per decem, sive per 20. annorum curricula, sive per 30. vel 40. annorum metas, sive ex alio quocunque tempore majore vel minore sit inducta: ea mulie-*
Tom. II.

ribus ex eo tempore opponatur, ex quo possint actiones movere. 1. *opulentis quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimonium: minus autem idoneis, ex quo hoc infortunium eis illatum esse claruerit:* quo habetur, mulieri, vindicandi res dotales, non obstare exceptionem, sive sit major, sive minor decennali. Sed hoc accipiendum est de præscriptione temporis, quo mulier non potuit uti actione hypothecaria, contra bona mariti; nam, ubi agere potuit, contra illam etiam præscriptio currit temporis ordinarii.

Tertia quæstio est, an res, quas alienari Testator prohibuit, sint idonea materia præscriptionis? Resp. quòd sic, si præscriptio sit extraordinaria, nimirum 30. vel 40. annorum; non autem temporis ordinarii, per *L. fin. §. 3. C. Communia, de Legatis*, ibi: *si autem sub conditione, vel sub incerta die fuerit relictum legatum, vel fideicommissum Universitatis, vel speciale, vel substitutione, vel restitutione: melius quidem faciet, si & in his casibus caveat ab omni venditione, vel hypotheca, ne se gravioribus oneribus evictionis nomine supponat: Sin autem avaritiæ cupidine propter spem conditionis minimè implendæ, ad venditionem, vel hypothecam profuerit: sciat, quòd conditione impletà ab initio causa in irritum devocetur: & sic intelligenda est: quasi nec Scripta, nec penitus fuerit celebrata: ut nec usucapio, nec longi temporis præscriptio contra legatarium vel fideicommissarium procedat.* Quod similiter obtinere censemus in hujusmodi legatis sive purè, sive sub die certo, sive sub conditione, sive sub incerta die relicta sint. Sed in his omnibus casibus Legatario quidem, vel fideicommissario omnis licentia pateat, rem vindicare, & sibi assignare, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo.

Quarta quæstio est de rebus pupillaribus? Ad hoc Resp. ex *L. 3. C. de præscript. 30. annorum*, ubi dicitur, *pupillari etate duntaxat* (quamvis sub Tutoris defensione consistat) *huic eximenda Sanctioni.* Nam cum ad eos annos pervenerint, qui ad sollicitudinem pertinent Curatoris, necessitatio eis, similiter, ut aliis, annorum triginta intervalla servanda sunt: quo habetur, res pupillares non modò immobiles, sed nec mobiles, etiam lon-

Gggg

giffi

giffimo tempore præscribi, sic, ut tempus ætatis pupillaris computetur in tempus possessionis de jure requisitum; de filiis autem familias sic loquitur *L. 1. C. de annal. except.* Sancimus filiis familias in omnibus his casibus, quibus habent res minimè Patribus acquisitas (quoad proprietatem) nullam temporalem exceptionem opponi, nisi ex quo exceptionem movere potuerint, id est, postquam manu paterna, vel ejus, in cujus erant potestate constituti, fuerint liberati. *Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod essi maluerint, minimè adimplere lege obvian- te valebant.* Ex quo colligitur, contra illos tempus non currere, nisi soluta Patria potestate. Contra Minores autem non currit præscriptio propriè dicta tempore ordinario, ex *L. fin. C.* ex quibus causis restituit. in integrum necess. non est, ibi: *melius est, intacta eorum jura servare, quam post vulneratam causam remedium querere.*

¶ VI.

An præscribi possint, quæ competunt Principi, vel Superiori, quoad subjectionem illi debitam?

2313.

INter ea, quæ debentur Principi, aliqua sunt, quæ illi debentur in recognitionem supremæ potestatis, & signum subjectionis; alia, quæ alio titulo, v. g. in subsidium, ob publicam necessitatem. Ea porò, quæ primo modo debita sunt, nullo tempore à subditis præscribi posse, constat ex *L. Comperit. 6. C. de præscript. 30. vel 40. annorum*, ibi: *Comperit nostra Serenitas, quosdam Sacratissimam nostræ pietatis constitutionem, qua de annorum 40. loquitur præscriptione, ad præjudicium etiam publicarum functionum solutionis trahere conari, & si quid per tanti, vel amplioris temporis lapsum, minimè, vel minùs, quam oportuerat, tributorum nomine solutum est, non posse requiri, seu profligari contendere; cum hujusmodi conamen manifestissimè sensui, propositoquè nostræ legis obviare noscatur, ideòque jubemus, eos qui rem aliquam per continuum annorum quadraginta curriculum, sine quadam legitima interpellatione possederint, de possessione quidem rei, seu dominio nequaquam removeri, functiones autem, seu civilem canonem, vel aliam quampiam publicam collationem eis impostam dependere compelli, nec huic par-*

ti cujuscunque temporis præscriptionem oppositam admitti. De his, quæ secundo modo debita dicuntur, affirmat *Pirhing. h. t. n. 20.* cum Abbate in *c. ad audientiam. 13. h. t. n. 18.* de quo dicemus infra. Quando autem dicimus, quòd in his, quæ debentur Supremo Principi sive Ecclesiastico, sive Laico, in recognitionem supremæ potestatis, nunquam præscribi possit, accipiendum est de casu, quo sub eodem Principe manet. Si enim ab ejus jurisdictione immunis fiat, legitimo transitu ad alium, non illi, sed alteri tenebitur; nec contra istum quoad prædicta unquam præscribet.

Cæterum præscriptione fieri potest, quòd quis *ex subdito fiat non subditus*, vel ex toto, vel ex parte, modò jurisdictionis, quam quis habet in subditos, non sit jure divino annexa officio, vel dignitati, quam quis habet. Ratio primi est, qui potest quis tempore, jure definito, bonà fide possidens libertatem, se eximere à jurisdictione alterius, cui ante subiectus erat, v. g. in solvendis gabellis, judicio, Censurâ, &c. hac ratione multi Principes Imperii exemerunt se ab eo, ut notat *Cardin. de Lugo, de jure, & just. tom. 1. D. 7. sect. 6. n. 85.* ratio secundi est; quia, quòd jure divino competit, dispositione juris humani auferri non potest; hinc nemo Fidelium per præscriptionem eximere se potest à jurisdictione Papæ, quæ illi, tanquam Vicario Christi, jure divino inest, in his, quæ pertinent ad salutem animarum, Dei cultum, & eorum, quæ in hunc finem ordinantur; at vis præscriptionis est solum ex dispositione juris humani.

Dices: ergo nec poterit ullus, per præscriptionem, eximere se, etiam à jurisdictione Episcopi; nam & hæc ex valdè probabili sententia illi inest jure divino. Resp. distinguendum, an objectio intendat, quòd nullus diæcesanus pro sensu composito retentæ diæcesis possit se eximere ab his, in quibus Ordinarius talis loci fundatam habet jurisdictionem super subjectione, & obedientia sibi debita? vel solum pro sensu diviso, nimirum, non retentâ diæcesi: si hoc secundum? opus non est præscriptione; cum mutata diæcesi eo ipso desinat esse subditus ejus, qui præest tali Diæcesi: si autem primum? verum est, quòd præscriptione acquiri non possit immunitas, seu exemptio ab Ordinario sic, *ut nulli subsit*, quoad Ecclesiasticam jurisdictionem; non autem,

ut non subsit Episcopo hujus Diœcesis; cum præscriptione possit acquirere immunitatem à jurisdictione omnium inferiorum, summo Pontifice.

2316. Ex hoc fit. 1. posse subditum præscriptione se eximere à subjectione standi in judicio coram Judicè cateròquin immediatò, v. g. ne vocetur ad forum Consulis, vel Magistratus civici; sed Præsidis Provinciæ; vel altioris. 2. posse Ecclesiam, intra fines diœcesis existentem præscriptione acquirere, ne pro causis Ecclesiasticis in judicio conveniatur, nisi coram Metropolitanò. Confirmari hoc potest ex c. *cum olim*, 18. h. t. ubi, cum Abbas S. Salvatoris de Ficheto sufficienter ostendisset Monasterium de Ficheto super plebe Falamazanâ, & adjacentibus Capellis, in quas jus Episcopale Episcopus Lucanus prætendebat, in institutionibus, destitutionibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum Baptismo, Pœnitentiâ in levioribus culpis, Sepulturâ, decimarum perceptione, divinis officiis celebrandis, excommunicando, atque interdicens, & etiam absolvendo, legitimâ esse præscriptione munitum: Pontifex super his Episcopo perpetuum silentium indixit; super aliis autem omnibus, quæ ad jus Episcopale spectant, juxta tenorem sententiæ ab arbitraris quondam latæ, eundem Abbatem, quoad plebem, & Capellas prædictas condemnavit.

2317. Hinc deducitur ulterius, Abbatem posse præscribere sibi aliqua, vel omnia jura Episcopalia alicujus Capellæ, vel Ecclesiæ; non tamen obedientiæ, licet quidam Abbas illa amiserit per arbitrum, quem ignorabat; adeoque jus instituendi, destituendi Clericos, baptizandi in Capella sibi subiecta, ferendi Censuras, &c. quæ scilicet non supponunt potestatem ordinis Episcopalis; quod confirmatur ex c. *Auditis* 15. h. t. Cum enim Episcopus Vigoriensis assereret, Ecclesiam in Valle Hevescam ad se lege Diœcesana pertinere, Abbate illius loci sibi eandem asserente jure privilegii, & præscriptionis: mandavit Pontifex, si ex Privilegiis constet, dictam Vallem libertate donatam à Cœlestino Papa, uti prætenditur, Episcopo silentium imponi; si autem Abbas in probatione donatæ libertatis defecerit, jussit audiri probationes super tempore, quo in-

Tom. II.

fra 40. annos Episcopalis Sedes vacavit, & si tempore vacationis subducto, quadragenaria præscriptio non sit completa, jus Episcopale Episcopo adjudicari in illis, quæ Abbas per 40. annos absque interruptione se præscripsisse non probaverit.

Not. autem universaliter, tantum solum præscriptione acquisitum esse, quantum probatum fuerit legitimè possessum cum cæteris conditionibus ad præscriptionem ritè complendam; cum nulla præscriptio procedat sine possessione ex dicendis infra. Ex hoc fit, quòd quis possit præscribere jus *excommunicandi, sine jure absolvendi; jus Baptizandi* in sua Ecclesia, sine jure ex officio exercendi Curam animarum, &c. sic Abbas in c. *cum olim*. 18. h. t. num. 7. Suarez tom. 2. D. 2. sect. 2. à nu. 13. & alii; & quamvis jus cognoscendi causas matrimoniales de jure *communi* solis Episcopis, ipsorumque dignitati reservetur, ut constat ex *Trid. sess. 24. de reform. c. 20. Vers. adhuc*: nihilominus tamen Prælato inferiori præscriptione legitimè completâ acquiri potest; cum non pertineat ad potestatem ordinis, sed solum jurisdictionis Episcopalis.

Not. 2. in casu, quo Prælatus inferior litigat cum Episcopo, volens, & probans Ecclesiæ suæ jus Episcopale (v. g. instituendi, & destituendi plebanum) legitimè præscriptione acquisitum esse, tale jus dupliciter posse intelligi acquisitum; *cumulativè* nimirum, seu æqua potestate sic; ut non tantum illud jus competat Episcopo, sed etiam inferiori Prælato; vel *privativè* ad Episcopum, ita scilicet, ut in ordine ad illum actum jus Episcopo, vel cateròquin habenti talem potestatem, præscriptione jus omne sit ademptum; quod contingit, quando quis *solus* actus illos exercuit bonâ fide; & legitimo titulo, possessione continuatâ per tempus jure definitum, Episcopo nunquam admissò.



§. VII.

An præscribi possit contra jus visitandi, procurationum, aut fines Diocesium, vel Parochiarum?

2320.

Prima quæstio est, an Diocesani possint præscribere contra Episcopum, ne visitentur, aut procurationem solvere teneantur? Non est dubium, Episcopis competere jus visitandi Ecclesias, & personas sibi subiectas per ordinem ad ea, in quibus pastoralis ejus curæ committæ sunt. *Visitator* enim in jure dicitur is, cujus munus est inquirere, tam in personas, & personarum vitam, quam in locorum administrationem, & curam. Ex officio potest visitare, quicumque habet jurisdictionem ordinariam in alios: Deinde hujusmodi Ordinarius, *si sit legitime impeditus*, potest visitandi munus aliis commendare; ita Azor. tom. 3. l. 13. c. 30. quo posito ad quæstionem propositam facit c. *Cum ex officii*. 16. h. t. Cum enim quidam Prælati Senonensi Episcopo in visitatione *procuraciones* negarent, hoc solum allegantes, quod meminerint, se procuraciones ejusmodi Prædecessoribus Archiepiscopi solvisse; Pontifex rescripsit, contra procuraciones, quæ ratione visitationis debentur, non magis posse præscribi, quam contra ipsam visitationem, ideoque jussit, sententiam, ab Archiepiscopo, contra contemptores usque ad condignam satisfactionem observari; quia secundum Apostolum 1. Cor. 9. *qui spiritualia seminant, non est magnum, si metat corporalia; cum nemo cogatur suis stipendiis militare.*

2321.

Ex hoc deducitur. 1. præscriptionem, quæ tollit omnino visitationem, jure communi injunctam, merito prohiberi; sic Hostiens. in Summa de Offic. Archidiacon. à n. 5. & *alii*; ratio est, quia cum præscriptio vim totam suam habeat à jure positivo, ibi dicendum est ei locum esse, pro quo ei dictum jus vim constituit; ibi negandum, pro quo ei negavit: at pro casu, ne Diocesani *ab ullo* visitentur, jus canonicum (cujus *in hac materia* est vim tribuere præscriptioni) nullam vim præscri-

ptioni tribuit, sed potius negavit, ut constat ex dict. c. *Cum ex officii*, & hoc merito, quia præscriptio impediens morum correctionem, & Ecclesiarum reformationem jure reprobatur, arg. c. *cum inter*, & c. *ex parte*, de consuetud. cum aliis, quippe quæ cedit in damnum publicum, & ex eo proveniunt multò majora mala in Repub. quam sit bonum, vitandi lites, & servitatem dominorum, pro quibus bono publico introducta fuit præscriptio, L. 1. ff. de usucap. sed præscriptio omnino tollens visitationem injunctam jure communi, impedit morum correctionem, & reformationem Ecclesiarum, & ita obviat bono publico, quod per visitationem prærenditur, juxta addita ad c. *accedentes*, h. t.

Deducitur 2. quævis non sit locus præscriptioni, quæ omnino tollit visitationem; admitti tamen illam, quæ ipsam visitationem *transfert*, vel *alii accumulatur*; sic Hostiens. cit. Nam illa præscriptio admittenda est, quæ nullo jure prohibetur; nec etiam impedit morum correctionem, vel Ecclesiarum reformationem, nec etiam alias occurrit bono publico; hoc autem habet talis præscriptio *translativa*, vel *cumulativa* juris visitandi; cum adhuc maneat visitatio facienda vel per eum, in quem translata est; vel per antiquum, esto etiam per alium fieri possit; ergo; & colligitur ex dict. c. *cum ex officii*, ubi, postquam Pontifex rejecit allegationem Abbatis recusantis visitationem Archiepiscopi Senonensis, propterea, quod non meminerit, unquam procuracionem à suo Monasterio solutam, consequenter factam visitationem, subjunxitque, nec procuraciones titulo visitationis debitas, nec ipsam visitationem ex aliquo modo præscribi posse, subjungit: *etsi aliàs contra eum* (nempe dictum Archiepiscopum) *præscribere possit*; quo aperte significat, admitti præscriptionem, per quam transfertur, vel accumulatur visitatio; quia talis præscriptio, absolutè loquendo, non est contra visitationem, quam non tollit; sed contra Prælatum, cui præjudicat, juxta quem sensum verba illa text. *aliquo modo*, non sunt intelligenda de modo, per quem præscribitur transferendo, vel accumulando; sed de modo, per quem præscribitur contra visitationem, scilicet tollendo, & extinguen-

gnendo illam; nam quoad hoc nullus modus præscriptionis admittitur.

2323.

Si dicas: jura Episcopalia possunt præscribi, *c. auditis c. cum olim. h. t.* de quibus juribus Episcopalibus, est visitatio, *c. conquerente, de officio Ordin.* Resp. 1. cum distinctione juxta *n. 2321.* jura Episcopalia præscribi possunt per ordinem ad illos effectus inducendos, per ordinem ad quos præscriptioni vis inductiva eorum concessa est, *C. secus. N. Ma. ex n. cit.* at, ne Diocesani *ullo modo* visitentur, præscriptioni nulla vis jure canonico concessa est; secus, ut transferat, vel accumulet, ut constat *à n. prior:* ergo. Resp. 2. quòd, quamvis jura Episcopalia præscribi non prohibeantur, quia per illorum præscriptionem non ita præjudicatur bono publico, sed magis Episcopo, contra quem præscribitur, nihilominus tamen visitatio jure communi competens præscribi prohibetur ob gravissimum Reipublicæ detrimentum, quod illà sublatà sequeretur.

2324.

Deducitur 3. contra procuraciones, ratione visitationis jure communi debitas, manente visitandi onere, non valere præscriptionem; sic Felinus, in *c. Cum ex officio n. 15.* & alii communiter: nam nulla præscriptio tollens visitationem jure communi inductum (ne scilicet Diocesani *ab ullo* visitentur) habet vim inducendi talem exceptionem *ex nu. 2321.* & constat ex textu in *n. 2320.* at præscriptio tollens procuraciones ratione visitationis jure communi debitas, manente tamen onere visitandi, tolleret ejusmodi visitationem, saltem juris præsumptione, & in effectu, ut satis innuit in ipso textu Pontifex, dum dicit contra procuracionem ratione visitationis debitam præscribi non posse, *quemadmodum nec contra visitationem ipsam;* id, quoad magis liquet, si advertas, procuracionem esse *annexam* visitationi, ac subinde de illa, & de ista circa præscriptionem idem esse judicium, *arg. c. super eo, de paroch.*

2325.

Difficultas est, an, si Prælati, Episcopo inferior, præscribere possit omnia jura Episcopalia quoad jurisdictionem in certa parte diocesis ita, ut in illa obtineat ipse jurisdictionem quasi Episcopalem, eo ipso sic omnino excludere possit Episcopum, ut non tantum non retineat in illa parte exercitium jurisdictionis; sed nec quidem generalem in habitu? Resp. quòd non; nam sic, si talis

Prælati in jurisdictione foret negligens, non posset Episcopus supplere negligentiam; cujus tamen oppositum constat *ex lib. 1. tit. 10. de supplend. neglig. Pralat.* Deinde in tali casu adhuc posset appellari à tali Prælato ad Episcopum, &c. sic Abbas in *c. Auditus 15. h. t. n. 7.*

2326.

Altera quæstio est, an præscribi possint fines Diocesum, vel Parochiarum, quando constat legitima auctoritate præfixos illis esse suos terminos? Resp. super hac quæstione haberi constitutionem Urbani III. relatam in *c. Super eo. 4. de Parochiis,* ibi: Super eo verò, quod apud vos intelleximus dubitatum, an, *quod de finibus, & his, que finibus coherent non præscribendis,* statutum per Canones esse dignoscitur, sit *in parochiarum limitibus,* sicut in Provincialibus admittendum? Respondemus, *quod bene videtur in utroque servandum, si fines legitimè probatione, vel aliàs indubitata fide constitit Ecclesiastica ordinatione statutos.* Ex hoc textu communiter deducunt DD. sicut limites *Provinciarum* secundum jura præscribi non possunt; ita limites *Episcopatum, & Parochiarum* cum adhærentibus non posse præscribi; sic etiam Baldus *de Præscript. c. 6. n. 7.* Menoch. *consil. 147. n. 44.* ubi hoc intelligit, ut etiam exprimit textus, si limites sint clarè, & manifesti distincti; secus, si sint dubii.

2327.

Ratio autem potissima videtur, ne in casu proposito (ubi scilicet limites sunt manifestè distincti) admittitur illorum præscriptione, cum publico incommodo nascatur confusio tam inter Prælatos, quam subditos, ut colligitur ex *c. Quicumque, & c. Licet 16. q. 4.* præsertim attendendo fines Provincialium, Diocesum, & Parochiarum, in utilitatem publicam, non privata, sed publica auctoritate constitutos, & distinctos fuisse, *c. 1. dist. 80. c. 1. n. 13. q. 1.* intendit text. in præsentibus, ibi: *Ecclesiastica ordinatione institutos; Concil. Trid. sess. 14. de reform. c. 9. & sess. 24. de reform. c. 13. in fine;* unde fines hujusmodi, *quatenus fines sunt juris publici auctoritate, & utilitate constituti;* (ut in simili probat *L. id, quod. 7. §. limites 1. ff. de periculo, & commodo*) immutabiles esse debent, & merito præscribi prohibentur, ne aliàs privata cujusquæ præscribentis auctoritate, sublati antiquis, passim novi limites constituentur, & tam in jurisdictione, quam in reliquis

ad publicam utilitatem pertinentibus frequens detur occasio incertitudinis, & confusio.

2328. Not. autem, non idem procedere de finibus *prædiorum*; tum quia de his nulla mentio fit in textu; tum quia non sunt publici, sed privati juris; non publicâ, sed privatâ uniuscujusquæ auctoritate, & voluntate instituuntur, & mutantur; *L. 1. C. de finib. regund.* & confusio, quæ timeri potest, non ita principaliter *publicum*, sed magis *privatam* continet detrimentum.

2329. Ex hoc deducitur, quod, licet non admittatur præscriptio limitum, quibus terminantur Provinciæ, Diceceses, vel Parochiæ, *in ratione limitum*, ut præmissum est; admittatur tamen *intra fines*, seu limites Provinciæ, Dicecesis, ad effectum, ut præscribens intra illos obtineat jurisdictionem, vel jura Episcopalia, seu Parochialia, ut diximus à *n. 2314. 2.* quamvis admittatur hæc præscriptio (soli v.g. intra limites) non tamen propterea permitti, ut fines præscribi possint ad effectum, ut desinant esse, qui antea erant, vel restringantur, ut alio extendantur, & sint, ubi non erant; quia ratio prædicta, & hujus textus prohibitio non ostenditur, ubi manentibus finibus, sicut antea, intra illos præscribitur; nec obstat *c. cum sint 18. vers. & attendendum*, de decimis; satisfit enim, ut per gloss. ult. communiter receptam ex Zabar. ibi: *secus in finium mutatione.*

ARTICULUS II.

De conditionibus ad legitimam præscriptionem requisitis.

2330. AD præscriptionem legitimam, jure scilicet approbatam, & efficacem ad inducendum effectum, dispositione juris illi concessum, communiter assignantur quatuor conditiones, bona fides, justus titulus, res non vitiosa, & possessio tempore præscripto continuata, quæ aliqui exprimunt his versibus: *non usucapies, quatuor nisi talia subsint: æqua fides; justus titulus; res non vitiosa: tempore præscripto possessio continuata*; alii Antiquiores requirebant etiam *rei traditionem*; sed hæc ad usucapionem legitimè inductam non requiritur, & etiam sine traditione rei Dominium infertur extra casum præscriptionis, ut per

se patet in rebus derelictis, & similibus; sed nec requiritur, ubi aliàs rei dominium non transit sine traditione, ut in donatione, mutuo, &c. qui in illis casibus traditio requiritur, nec acquirens careat possessione bonæ fidei; at in materia præscriptionis hæc adesse potest etiam sine traditione, ut constabit ex seqq.

§. I.

De bona fide requisita ad præscriptionem.

SUPPONEND per *bonam fidem* hic non aliud intelligi, quam *conscientiam bonam circa possessionem rei alienæ, tanquam suæ*; quæ proinde supponit ignorantiam alicujus circumstantiæ, aut conditionis, quâ cognitâ sciret, rem talem non ad se, Sed ad alium pertinere, proindeque jam peccaret volendo possidere *ut suam*, & tunc esset *malæ fidei* possessor. *Fides* autem (seu iudicium, quo quis existimat, rem, quam possidet, non esse alienam, sed suam) potest esse bona seu *justa* dupliciter; *justa Theologicè*, & *justa juridicè*; utrumquæ jam exposuimus superius à *n. 1033.* quoniam autem plerumquæ contingit, existimationem, ex qua quis putat, vel iudicat, rem, quam possidet, tanquam suam, se justè retinere tanquam suam, esse justam, quia possidet ex titulo, seu causa, quam existimat justam esse; ideo exponendum erit, quis *titulus*, vel *causa* (ex qua quis rem habet) sit *titulus verus*, vel solum *putativus*; putativus porro justus erit, si proveniat ex errore justo.

Hinc not. 1. quod *error* triplex sit, justus, injustus, & justissimus. *Injustus* error est error in jure, quo quis putat, aliquem actum sub tali circumstantia facere, non esse legibus prohibitum, ut magis patebit ex seqq. *Justus* autem error est, cum quis errat in facto, non quidem proprio (nam error in facto proprio, sine alterius inductione commissus, est error injustus) sed vel proprio ex persuasione Adversarii; vel alieno ex persuasione Authoris dicentis, se id fecisse, quo casu hic error dicitur *justissimus*; sicut etiam, si contingat hic error, si quis alteri succedat dicenti, *rem fuisse suam*, vel ex publica fama, vel opinione vulgi, vel assertione viri probi.

Not. 2.

2333. Not. 2. quòd error, alius sit facti; alius juris. Error facti est, cum putamus, non adesse illam circumstantiam, sub qua scimus actum prohibitum esse, cum tamen adfit (sic scio non licere pupillo, sine Tutoris autoritate contrahere; si tamen puto eum, cum quo contraho, non esse pupillum, cum in re sit, est error facti) alius error juris, cum nescio, quid in iure circa talem actionem debite faciendam, scriptum sit. Quare bona fides ex ignorantia juris, dicitur voluntas inculpabilis, habendi rem ut suam, eò quòd falso existimet, licitum esse per leges, rem cum talibus circumstantiis acquirere; bona fides ex ignorantia facti, est voluntas inculpabilis habendi rem, ut suam, eò quòd falso putet, adesse circumstantias, quas novit necessarias, ut rem comparet licite. Per jus clarum intellige, cum certum est actum sub tali circumstantia legibus prohibitum esse; quando autem dubium est, vel controversum, jus obscurum dicitur.

2334. Not. 3. eum, qui cum dubio negativo (ut communiter loquuntur) inchoat possessionem rei ut suæ (hoc est, qui incipit possidere non habens positivum fundamentum prudens, judicandi rem esse; vel non esse suam) non incipere possidere bona fide; ut enim licite incipiam possidere rem ut meam, necesse est, quòd velim illam habere tanquam meam, adeòque præcedat iudicativa cognitio, quæ dicet rem esse meam ex aliquo iusto titulo; id, quod fieri non potest, ubi quis possidere incipit stante dubio negativo, seu intellectui suspenso sic, ut neutri contradictionis parti accedat per assensum.

2335. Not. 4. aliud esse, quòd invincibiliter ignorem rem, quam possideo, esse Petri, qui est verus Dominus, si tamen simul putem, eam esse Pauli; aliud, quòd invincibiliter ignorem, rem illam esse alienam, vel, esse ullius alterius à me; voluntas habendi rem ut suam in primo casu, non sufficit, ut dicat possidere bona fide, possessione sufficiente ad legitimam præscriptionem; secus, secunda; cum aperte vitietur ex præsentis iudicio (quantumvis erroneo) dicente rem esse Pauli, adeòque non meam; velle autem habere rem ut suam, quam conscientia (quantumvis erronea) dicat, non esse suam, sed alienam, facit voluntatem injustam Theo-

logicè, consequenter excludit bonam fidem justam Theologicè, sine qua non procedit præscriptio legitima per dicenda in seqq.

Not. 5. ad hoc, ut præscriptio, quantum est vi bona fidei, procedat, sufficere, quòd præscribens sit in bona fide, quoad illum, contra quem vult præscribere, esto sciat in ea re jus aliquod esse alteri, contra quem non intendit præscribere; hinc si possideam rem aliquam, in qua duo alii (Titius, & Cajus) habent diversa jura (v. g. in fundo meo constitutam sibi hypothecam) si invincibiliter ignorem fundum meum esse hypothecatum Titio, esto sciam, esse hypothecatum Cajo, legitima erit præscriptio contra Titium, quantum est vi bona fidei ad præscribendum contra Titium requisita. Aliud est in priori casu; nam hoc ipso, quòd existimem, rem à me possessam esse sub dominio Pauli, non possum invincibiliter, ac inculpate ignorare, non esse meam quoad dominium; at esto sciam, meum fundum esse hypothecatum Cajo, possum tamen invincibiliter ac inculpate ignorare, illum esse subiectum hypothecæ Titii; his præmissis:

2336. Quæstio 1. est, an utroque jure, canonico, & civili, bona fides, eodem modo requiratur ad præscriptionem? Resp. in hac quæstione aliud dici Legibus; aliud, sacris canonibus, quamvis utroque jure requiratur aliqua bona fides, sed non eodem modo. Nam jus civile ad usucapionem ordinarij temporis tantum ab initio requirit, nec vult obstare præscriptioni, si currente illo tempore mala fides superveniat; L. unic. C. de usucap. transform. ibi: hoc tantummodo observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat, secundum quod exigit longi temporis præscriptio. Ad præscriptionem verò longissimi temporis, seu extraordinarij, ne quidem requirit jus civile bonam fidem ab initio, ut colligitur ex L. 3. & 7. C. de præscript. 30. annorum, ubi sola continuatio temporis requiritur. Contrarium statuitur in jure sacro; nam in c. fin. h. t. expressè habetur statutum in Concilio generali, quo tenentur omnes Christi fideles: quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absq; bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. Cum generaliter sit

fit omni constitutioni, atq; consuetudini derogandum, qua absq; mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienam; & reg. Possessor. 2. de Regul. juris in 6. ibi: Possessor mala fidei, ullo tempore non praescribit. Loquimur autem hic de bona fide, iusta nimirum Theologicè; ac de praescriptione, secundum quod propriè sumitur quoad officium acquirendi, in quo convenit cum usucapione.

2338. Pro explicat. not. 1. in illis verbis (quod non est ex fide) desumptis ex S. Paulo ad Roman. 10. fidem accipi pro conscientia, ut exponunt gloss. & SS. PP. dicitur autem conscientia fides, vel quia est credulitas quaedam circa proprios actus; vel quia sicut fides includit iudicium, quo aliquid iudicantes credimus, ita conscientia (quæ est applicatio scientiæ ad ea, quæ agimus) ex S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 4. & 5. & quodlib. 3. a. 26. importat iudicium, quo de nostris actibus bonis, vel malis practicè iudicamus, sic Covarr. l. 1. Variar. c. 1. Unde, cum Pontifex ea verba in textu summat, prout iis usus est D. Paulus; sicut iuxta hunc omne id, quod non est ex conscientia, vel secundum conscientiam (& ita contra illam) est peccatum, non tantum, ubi conscientia recta est, veraquè; sed, etiamsi falsa sit, & erronea, vel denique dubia, ut declarat Pontifex in c. literas, elige 2. de restit. spoliat. & c. per tuas 36. de simon. S. Thom. 2. 2. a. 5. & 6. & quodlib. 3. a. 27. sic etiam peccatum erit ejusmodi praescriptio in mala fide & possessione contra conscientiam fundata. Et quoniam prorsus iniquum est, & contra commune bonum omnis Reipublicæ, bene ordinatæ, legibus dare vim, per viam peccati, & injustitiam, adimendi aliis, & sibi acquirendi rerum dominia, consequenter ejusmodi leges nõ modo justæ non sunt, sed etiam perniciosæ: merito ab Ecclesia reprobatae sunt leges civiles (quæ praescriptionem vel malâ fide cœptam; vel cœptam bonâ quidem, malâ vero postea continuatam jure approbant) non modò pro foro conscientiæ, & canonico, sed etiam civili, seu temporali, nullam penitus, ac irritam declarando.

2339. Ex hoc sequitur, praescriptionem mala fide cœptam, irritam esse, quod omne

tempus possessionis continuatæ mala fide; cum enim possessio rei alienæ, etiam longissimo tempore, per se nullam vim habeat ad effectum usucapiendi rem alienam, nisi dependenter à jure positivo humano, eoque vel canonico, vel civili, vel utroque; à neutro autem seorsim, imò nec etiam simul sumpto id habere possit, quando scitur res aliena (quia talis continuatio possessionis non purgat, sed auget injustitiam continuatione peccati) necesse est, praescriptionem mala fide cœptam, irritam esse, quod omne tempus possessionis continuatæ mala fide; & ideo oportet, ut in nulla temporis parte, qui praescribit, rei habeat conscientiam alienam.

Sequitur. 2. si, post praescriptionem bonâ fide cœptam, oriatur in praescribente mala fides, tempus praecedens cum subsequenti non posse continuari juridicè, continuatione nimirum sufficiente ad legitimam praescriptionem. Ponamus enim, quod praescriptio completeretur decennio; in hoc casu, si post possessionem biennio, vel triennio bona fide continuatam, superveniret mala fides, esto possessio continuaretur per reliquos 8. vel 7. annos, completo decennio praescriptio nec in foro civili legitima foret; quia, si secus esset, nimirum, si vim aliquam in eo foro obtineret, deberet id habere à dispositione valida, & legitima ejusdem juris civilis; sed talis dispositio, utpote nutritiva peccati, & injustitiæ, nulla omnino est, cum careat omni justitia, & repugnet juri divino, condi, vel approbari ab humano Superiore talem dispositionem, seu legem; ut expressè constat ex generali Concilio. quod erroris argui in sua definitione, pertinente ad mores, animarum salutem, Christianè non potest, ergo.

Et ideo sequitur. 3. juri civili, quod admittit valere praescriptionem cum bona fide inchoatam, esto non continuatam; item praescriptionem longissimi temporis, licet nec inchoatam bona fide, jure canonico derogatum esse. Nam ubi agitur de peccato, leges validè corriguntur à canonicis; ita communis cum Andr. Gail. L. 2. observ. 10. n. 7. Unde etiam negatur universaliter, quod possessio immemoralis habeat vim tituli juris, & privilegij: hoc enim procedit solum, quando est ex bona fide; non autem secus. Nam lex praescriptionis

onis non favet iniquitati; Fachin. L. 8. c. 26.

2342. Sequitur 4. etiam in præscriptione actionum, & obligationum, necessariam esse bonam fidem justam Theologicè; patet ex cit. c. fin. ibi: *nulla valeat absque bona fide præscriptio*. Dices: ibi agi solum de præscriptione rerum; patet, ibi: ut in nullo tempore habeat *aliena rei* conscientiam; ita Hostiens. in summa. Resp. rei vocabulum generale esse, & significare etiam incorporalia, ut probatur L. rei appell. ff. de V. S. L. norminis. ff. eod. 2. quia regula, *possessor*, universaliter loquitur. 3. quia ratio decisionis, in qua fundatur c. finale, communis est etiam incorporalibus, ut & in his caveatur peccatum. Loquimur autem hic de illa bona fide, quam n. 2348. & 2378. requirimus ad subiectum ab obligatione liberandum.

2343. Sequitur 5. ad legitimam præscriptionem requiri prædictam bonam fidem Theologicè justam, non solum in principio, sed per totum decursum temporis præscriptioni necessarij; patet ex c. fin. cit. ibi: oportet, *ut in nullo tempore &c.* Hinc, qui dubius, an rem licitè retineat? non deposito dubio retineret, eo ipso cum peccato retineret, consequenter non haberet bonam fidem justam Theologicè.

2344. Dices 1. canones, qui reprobant præscriptionem, vel malà fide cœptam, vel continuatam, obtinent solum in Italia, & terris Romano Pontifici subiectis; ergo nihil derogant legibus imperialibus. Anteced. tenet gloss. in c. fin. de præscript. 2. per dict. c. fin. Pontifex reprobatur solum pro foro Ecclesiastico præscriptionem, de qua loquitur, nimirum & *canonicam*, quæ sit rei spiritualis; & *civilem*, quæ rei temporalis; 3. jus civile non approbat præscriptionem cum mala fide, nisi quod rei Dominus in iudicio exceptione præscriptionis, non audiatur, sed repellatur; quamvis præscribentem non constituat immunem ab obligatione naturali, seu conscientia, rem restituendi, si intercessit mala fides. 4. sufficienter salvantur sacri canones dicendo, non valere præscriptionem cum mala fide, præscribendo actionem realem, & rei vindicationem; esto procedat in actionibus personalibus; quia Pontifex in utroque textu semper loquitur de præscriptione rerum; quæ possidentur, & detinentur, quales non sunt jura, & similia incorporalia. 5.

Tom. II.

quàm diu Creditor non exigit debitum, tam diu debitor non peccat, non solvendo; ergo absq; peccato poterit tandem præscribere. 6. possunt servitutes rusticæ (ut supra dictum) præscribi saltem præscriptione improprie dicta, etiã ab eo, qui scit se eam debere, si Dominus eã non utatur: ergo etiam poterit debitum præscribi, si Creditor non exigit.

Ad 1. Resp. N. ant. nam, quod sine peccato fieri non potest, utique obtinet inter fideles; at quod quis præscriptione vel cœptâ possessione malæ fidei rem possessam usucipiat, seu sibi acquirit, sine peccato fieri non potest, prout claris verbis CC. generalis, & summi Pontificis constat: ergo ubique etiam in Romano Imperio, & inter omnes Fideles obtinere debet; quia in his, quæ pertinent ad animæ salutem, & illi contraria, omnes subiecti sunt jurisdictioni, & legibus Ecclesiæ. Ex hoc Resp. ad 2. quod peccatum, & humana dispositio, non tantum pro foro Ecclesiastico, sed etiam civili reprobetur; quare N. anteced.

Ad 3. Resp. N. id, quod eo loco dicitur, nam completâ præscriptione juxta jus civile dicitur præscribens gaudere plenissimâ securitate, ut constat ex n. 2305. quod non procederet; si vellet præscribenti cum mala fide solum indulgere *exceptionem*; præterquam quod & hoc peccatum foveat, si quis rem alienam mala conscientia detinendo posset approbatione legum repellere verum rei Dominum. Ad 4. N. ant. ad probat. constat ex n. 2342. & tam bene iniquum, & contra conscientiam est; scienter jus alienum, quantum vis incorporale, quam rem alienam, & corporalem velle habere ut suam; sed propter peccatum reprobatur præscriptio rerum corporalium cum mala fide; ergo & incorporalium; ratio enim reprobationis est *necessaria*, & reperitur in utraque; nec fundatur in *ly possidere*, sumpto solum realiter.

Ad 5. N. universaliter anteced. Nam Debitor ex contractu *in diem* celebrato, etiam Creditore non exigente, tenetur solvere debitum, *cum dies venit*; aliàs est in mora culpabili, cum dies pro Creditore interpellat. Si autem debitum contractum sit *indefinitè*, nimirum non expresso certo termino in conventionem, censetur contractum in tempus, quod ex consuetudine pro solutionis termino habetur; sed sic

H h h h

rursus

rursum tempus illud elapsum interpellat; vel demum intelligitur contractum, ut præstetur solutio, cum debitor exegerit? & nec in isto casu procedet præscriptio debiti. Nam vel eo casu debitor caret animo negandi solutionem Creditori petenti, & sibi ut suam servandi, quod ex justitia solvendum foret Creditori? vel habet talem animum? si primum? præscriptio non procedet; cum non inchoet possessionem libertatis animo sibi habendi eam, immunem ab obligatione; si secundum? animus ille est contra conscientiam, & peccaminosus, consequenter nullo jure inchoare potest legitimè præscriptionem; ex dictis:

2348. Ad 6. Resp. C. antecedens, sub illis terminis, quibus proponitur; N. consequ. pro quo not. bonam fidem, justam Theologicè, de qua n. 1032. tantum requiri ad præscriptionem *strictè ac propriè dictam*, hoc est, illam, quæ procedit ex animo possidendi rem ut suam; diximus à n. 2272. sed præter præscriptionem, quæ procedit ex animo possidendi rem ut suam, dari aliam minus propriè dictam, quæ quidem etiam exigit *bonam fidem*, sed in eo sitam, quod nihil fiat contra conscientiam; non tamen illam, quæ fiat cum ignorantia juris alieni; aliàs enim debitor sustinendæ pænæ nunquam præscriberet contra actionem pœnalem, natam ex lege, vel præscripto Judicis; quia scit se teneri ad eam sustinendam, cum infligitur: at hoc est contra communem, ut notat gloss. in c. *Fraternitas*. 12. q. 2. Navarrus in Manuali c. 23. n. 66. & alii.

2349. Confirmari hoc potest ex L. 13. C. de *Servitutib. & aqua*, ibi: *ut omnes servitutes non utendo amittantur*. Et ideo tradit Lessius l. 2. c. 6. d. 6. præscribi hoc modo libertatem adversus servitutes rusticas; quando scilicet ille, qui est Dominus prædii dominantis, intra certum tempus non utitur servitute, cum posset uti, etiamsi ex ignorantia non utatur, & Dominus prædii servientis sciat servitutem deberi: talis, inquam, præscribit servitutem, & extinguit jus alterius, quia non tenetur illum de suo jure mōnere.

2350. Dixi, hoc modo præscribi *servitutes rusticas*; contrarium enim quoad servitutes *urbanas* (ut non possint præscribi sine

facto aliquo præscribentis contra jus alterius, atque aded sine ignorantia juris alieni, constitutum est Legibus, ut dicitur L. 6. C. de *servitut. prædior. urban.* ibi: *hec autem jura similiter ut rusticorum quoque prædiorum, certo tempore non utendo, pereunt, nisi quod hæc dissimilitudo est, quod non omnimodo pereant non utendo, sed ita si vicinus simul libertatem usucipiat: veluti si ades tue adibus meis serviant, ne altius rollantur, ne luminibus mearumedium officiat: & ego per statutum tempus fenestras meas præfixas habuero, vel obstruxero, ita demum jus meum amitto, si tu per hoc tempus ades tuas altius sublatas habueris, alioquin, si nihil novi feceris, retineo servitutem*. Ex quo habetur contra servitutem consistentem jure, ut *aliquid non faciam*, à me non præscribi, nisi factam cum ignorantia, esse contra jus alienum.

2351. Questio altera est, an ad legitimam præscriptionem necessaria sit bona, etiam *justa juridicè*? de qua à n. 2331. nimirum non ducens originem ex errore juris; nam error facti, quantum est ex hoc capite, non nocet bonæ fidei ad præscriptionem necessariæ; quo posito Resp. affirmativè; præscriptio enim vim suam habet à legibus; ergo non valet, nisi habeat, quæ ad ipsam lege requiruntur; sed à lege requiritur, ut non procedat ex ignorantia *juris clari*, (de quo n. 1033.) saltem, quando requiritur titulus; ergo: min. patet ex L. *nunquam*. ff. de usucapionibus ibi: *nunquam in usucapionibus juris error prodesse solet*; item L. *juris*. ff. de *jur. & fact. ignor. juris ignorantia in usucapionibus, negatur prodesse: facti vero ignorantiam, prodesse constat*.

2352. Dices i. non haberi textum, idem affirmantem, de *præscriptionibus*; nam hoc procedit solum de *usucapionibus*. Resp. N. ant. quia L. 7. ff. *eodem* habetur: *juris ignorantia non prodest acquirere volentibus; suum vero, petentibus non nocet*; & L. 9. ff. *eodem* *regala est, juris quidem ignorantiam cuiquè nocere, scilicet volenti acquirere, ut fit præscriptione; in quantum tendit ad primarium effectum in acquirendo situm, de quo diximus n. 2272.*

Dices

2353. Dices 2. has leges procedere solum ex *presumptione male fidei*; ergo non habent locum in foro conscientiarum; hic enim spectatur veritas. Resp. N. ant. nam L. 2. §. 15. ff. pro emptore, habetur: *si scias pupillum esse; putes tamen, pupillis licere* (vendere v. g. vel alienare sine Tutore) *non capies usum; quia juris error nulli prodest*; ergo supponit lex *judicium erroneum*, quod liceat pupillo contrahere; ergo non supponit adesse *scientiam* circa idem; ergo nec malam fidem.

2354. Dices 3. error juris non vitiat bonam fidem; sed bona fides sine titulo cum possessione longissimi temporis transfert dominium; ergo saltem in isto casu non obest ignorantia juris clari. Resp. 1. hoc non esse contra conclusionem nostram. Resp. 2. probabilius videri, etiam obesse huic prescriptioni, non requirenti titulum. Error enim juris, esto non vitiet bonam fidem *theologicè*; secus civiliter, & *juridicè*; hinc minor vera est de bona fide, *iusta utroque modo*; quia jura nolunt, favorem meri juris indulgere ignorantibus *jus clarum*.

2355. Ex dict. collig. errorem justum, & justissimum non nocere prescriptioni legitima, & componi cum bona fide civiliter iusta. Patet 1. si sit error facti; hic enim non nocet ex L. *juris cit. n. 235* 1. patet 2. si sit error juris *obscuri*; nam jus dubium non est jus; ergo error in jure dubio, non est error juris reprobatus; deinde scienti, jus esse dubium, licet sequi quamcunque partem, prudenti fundamento nixam, in realioquin incerta; quia sic dubium est de existentia obligationis. Patet 3. si error juris concurrat cum errore facti; tunc enim usucapio non impeditur. Nam, si vir uxori donavit rem, quæ aliena est, & vir inde non est pauperior, usucapio possidenti procedit; ut habetur L. *si vir. ff. de nato*.

2356. Collig. 2. in illis solum obesse prescriptioni bonam fidem *non justam juridicè*, sed cum ignorantia juris, in quibus leges non tolerant ignorantiam juris; secus in illis personis, in quibus ignorantia juris habet justam exculationem à jure; seu quibus jura nolunt fieri præjudicium ab ignorantia juris, prout fit, in quibus non exigitur scientia legum, ut sunt *Milites, Minorenes*, prout constat ex L. 1. & 2. ff. de *Tom. II.*

facti, & juris ignorant. quo habetur, leges indefinitè dicentes, juris errorem, vel ignorantiam *non prodesse*, intelligendas in terminis *ex mente juris*, seu *habilibus*, nimirum relatè ad eas personas, in quibus error juris non toleratur.

Collig. 3. quando dicitur, errorem, vel ignorantiam juris obesse præscribere volentibus, in quibus ignorantia juris non toleratur, intelligendum est de errore, vel ignorantia juris *clari*, non autem dubii, & *controverfi*, ut tradit communis etiam Theologorum; quia talis error meritò comparatur errori, vel ignorantia facti; atque adeo, sicut rationes militantes contra ignorantiam facti nihil evincunt contra prescriptionem ex ignorantia meri facti; ita nihil evincunt contra prescriptionem ex ignorantia juris dubii, & *controverfi*.

2357. Quæstio 3. est, an dubium in initio prescriptionis, vel saltem postea superveniens, noceat bonæ fidei ad illam necessariam? Resp. quod, qui rem aliquam bona fide possidere cœpit, non perdat bonam fidem dubio superveniente, num res sua sit? si post debitam diligentiam vinci non possit dubium; 1. quia sic melior est conditio possidentis; 2. quia tamdiu quis est possessor bonæ fidei, quamdiu se alienum possidere ignorat, sed taliter dubius, adhuc ignorat; ergo. Ma est ex c. *si virgo* 34. q. 1. & ex c. *fin. h. t.* ibi: *itaque oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte agnoscat, rem alienam esse*; ergo sufficit, quod ignores, esse alienam. Et quamvis hoc dubium obstitisset, si in principio fuisset (ex L. *bonæ fidei. ff. de acquir. rer. domin.* & L. 1. C. *de usucap. transformanda*) secus tamen est, si superveniat possessioni cœptæ bona fide; quia hoc mutimane in antecedenti tunc possessor caret; sed intellige, si dubio superveniente non credas ex errore, te obligatum esse, rem possessam dimittere; nam secus, prescriptio interrumpetur; quia sic retineres cum peccato; sic Castropalaus de just. in genere, D. *unicâ*, p. 22. §. 7. n. 3. dixi, *quod hoc dubium obstitisset, si in principio fuisset*, quia id apertè habetur L. 1. C. *de usucap. transformand.* ubi Justinianus Imperator inquit: *si quis alienam rem mobilem, seu se moventem in quacunque terra, sive in Italica, sive Provinciali bonâ fide,*

de, per continuum triennium detinuerit: is firmo jure eam possideat, quasi per usucapionem eam acquisitam, hoc tantummodo observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat, secundum quod exigit longi temporis prescriptio: & ut continetur ei possessio etiam anterioris justi possessoris, & connumeretur in decennium, vel 20. annorum spatium, vel tricennium, quod & in rebus mobilibus observandum esse censemus, ut in omnibus justo titulo possessionis antecessoris iusta detentio, quam in re habuit, non interrumpatur ex posteriore forsitan aliena rei scientia, licet ex titulo lucrativo ea capta est.

2359. In hoc textu not. 1. verba: ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat, ubi gloss. lit. K. bona fides, inquit, in usucapionum, & prescriptionum initio requiritur; sed non sufficit, prout expressè colligitur ex cit. verbis L. 1. ibi: dum iusta detentio non interrumpatur ex posteriore forsitan rei scientia: quo clarè habetur ex mala fide, etiam superveniente possessioni, prescriptionem tam immobilium, quam mobilium interrumpi. Jam verò, quòd dubitans (num res sua, vel aliena sit?) non habeat bonam fidem, vel conscientiam (hæc enim idem sunt ex n. 2331.) clarum est, quia conscientia importat dictamen, seu iudicium possidentis, ex titulo, quo possidet, se rectè possidere rem illam, cum ignorantia juris alieni; sed hoc non stat cum dubitante; is enim nulli parti oppositarum per suum intellectuale iudicium accedit.

2360. Questio est 4. an, & quomodo bona fides Auctoris profit successori tam universali, quam singulari? ante resolut. not. Auctorem hic illum vocari, qui, tanquam rei suæ Dominus, dominium in me transferre videtur; & ego dicor illi succedere; deinde, Successorem alium dici à jure, singularem; alium, universalem; singularis est, qui in aliqua re determinata & singulari succedit, ut, Emptor, Donatarius, Legatarius; Successor universalis est, qui succedit in universitatem bonorum, seu in universum jus jure hæreditario, sive deinde sit hæres ex asse, sive tantum in certa parte hæreditatis totius, seu assis, v. g. in triente, semisse, &c. nam & hæc successio respicit rem indefinitam, & nullam

singularem quàm talem; quo posito:

Resp. quòd bona fides Auctoris profit successori tam universali, quàm singulari adeò, ut nisi in hoc mala fides superveniat, possit accessione temporis uti, seu, quod idem est, computare tempus possessionis, quo Auctor bona fide possedit, illudquè cum tempore suæ possessionis conjugere; nam Auctor totum jus suum cum re transfert in successorem; sed possidendo rem per partem temporis requisiti ad prescribendum, acquisivit jus, ut possidendo adhuc per tempus reliquum, quod decrat ad prescriptionis legitimæ complementum, rem prescriberet; ergo hoc ipsam jus transfert in successorem.

2361. Questio est 5. an mala fides Auctoris profit, vel obstat successori singulari? Resp. quòd ei nec profit, nec obstat; prob. ex L. an vitium ff. de diversis temporalib. prescript. ibi: vitium auctoris nec obesse, nec prodesse Emptori, vel Legatario, &c. prob. 2. quia mala fides est vitium personale; ergo non egreditur personam auctoris; dixi, vitium personale, quale foret, si auctor habens rem in pignore, in scio domino directo, venderet. Secus est, si res haberet vitium reale, ut si esset furtiva; tunc enim ex alio capite prescribi non posset à successore singulari tempore ordinario juxta dicta n. 2301. Quare, cum quis rem immobilem cum vitio personali alienat (v. g. pignus, ignorante domino) Successor singularis ejus Dominium non prescribit ordinario tempore, sed tantum extraordinario, jure novo Auth. mala fidei, C. de prescript. long. temp. Et in hoc casu nocet successori etiam singulari mala fides auctoris. Nocere dicitur successori, non tantum, quando accessione temporis prioris possessoris uti non potest; sed etiam quando ipse cum bona fide, quam habet, vel inchoare nequit prescriptionem, vel saltem impeditur, quo minus prescribat ordinario tempore: prodesse dicitur, quando potest uti accessione temporis, quo res ab antecessore possessa fuit.

2362. Questio 6. est, quid dicendum de successore immediato, vel hærede universali? Resp. quòd huic nocet mala fides Auctoris ex L. 11. ff. de divers. temp. prescrip. ibi: cum hæres in jus omne defuncti succedat, ignoratione suâ defuncti vitia non

excludit; & L. ult. C. Communia de usufrucap. ubi rubrica Baldi habet: *vitium defuncti nocet ejus successori universali, etiam bonam fidem habenti.* Et ratio est; quia defunctus, & hæres ejus immediatus, sunt fictione juris, & civiliter una eademque persona; ergo possessio hæredis æquè infecta est, ac possessio auctoris defuncti. Not. tamen, malam fidem præsumptam, ex eo, quòd quis propriâ auctoritate rem vacantem occupaverit, purgari possessione 30. annorum; Covarr. in reg. possessor. 2. p. 1. §. 8. n. 8. ex L. ult. C. unde vi. Hoc tamen limita, ut non procedat in eo, qui alteri succedit in officio, vel beneficio; quia non succedit ut hæres; sed jure collationis; Pirhing cit. n. 17. Limita 2. si hæres rem ab antecessore possessam malâ fide, possideret alio titulo, quàm hæreditatis, v. g. empti, &c. L. 5. §. 1. ff. de divers. temp. præscript. Sic enim quoad hoc non est eadem persona cum illo.

2363. Quæstio est 7. de hærede mediato, seu hæredis hærede? Resp. quòd ei mala fides Auctoris non noceat; quia duplex fictio in eadem persona non admittitur ex eodem capite; hoc autem deberet hic fieri. Nam ex eadem mala fide primi defuncti testatoris, fictio 1. fieret in hærede immediato. 2. in mediato. Nec ex eo etiam, quòd hæres mediatas onera hæredis immediati, si hic non satisfecit, solvere debeat. Nam hoc stat cum præscriptione domini, sine fictione respectu primi defuncti, eò quòd hic solum censetur moraliter eadem persona, cum hærede immediato; non autem, primo defuncto; & onus ejus solutionis est reale, non verò personale, sicut est mala fides. Ampliatur hoc 1. ut etiam locum habeat in præscriptione longissimi temporis; nam & hæc per n. 2361. requirit bonam fidem, quâ caret hæres immediatus, utpote civiliter idem cum defuncto; & possessio hæredis, sumitur quoad suum initium à possessione defuncti, quo ponitur laborasse vitio malæ fidei. Ampliatur 2. etiam ad casum, quo Monasterium, vel integra Communitas, successor universalis scribitur. Ratio est eadem; nam & hæc representat personam defuncti.

2364. Demum nota, quòd mala fides respectu unius rei non impediatur præscriptionem

alterius rei, bona fide possessæ, L. si quis fundum ff. de acquir. possess. quia sic quoad secundum habetur verè bona fides: Secus est de mala fide respectu personæ. Nam hæc respectu unius impedit præscriptionem contra alteram, v. g. possides fundum mala fide, quia scis alienum, sed putas esse Titii, cum sit Caij; quia sic rem possides cum peccato; ergo; Castropalaus p. 22. §. 10. n. 2. Pirhing. cit. n. 75.

§. II.

De titulo requisito, & sufficiente ad legitimam præscriptionem?

Titulus hic idem est, ac causa habilis ad transferendum Dominium. Nam, ut dicitur L. nullo, C. de rei vindicat. absquè tali titulo non potest dominium præscriptione acquiri; hinc depositarius, dominium depositi non præscribit; idem dic de similibus habentibus solum jus imperfectum. Notandum autem titulum alium esse coloratum (quò intelligitur titulus, qui revera intervenit, sed nulliter, ex aliqua causa latente) hinc dicitur etiam titulus solum apparens (v. g. Titius donavit tibi equum, qui habebatur pro domino equi, licet in re non sit) in hoc enim casu equum Donatarius possidet ex titulo colorato, seu apparente; quia donatio in re facta est, sed invalidè, defectu potestatis in donante; hinc Donatarius equum possidet pro donato. Quando autem talis titulus nec validus nec invalidus intervenit, & tamen possessor ex errore justo intervenisse existimat, vocatur titulus existimatus, & dicitur rem possidere pro meo. Quando autem ob diuturnitatem temporis, quò quis rem possedit, ab ipso jure præsumitur intervenisse titulus, hic dicitur præsumptus, quo casu diuturnitas temporis supplet defectum tituli veri, vel existimati; sed tunc solum, quando est ex bona fide; nam lex præscriptionis non favet iniquitati, ut rectè notat Fachinæus Controv. juris, l. 8. c. 26. quibus positus: non est dubium aliquem titulum requiri ad legitimam præscriptionem propriè acceptam; ut dicitur L. nullo, C. de rei vindicat. ibi: nullo justo titulo precedente possidentes ratio juris dominium querere prohibet; ergo

jus exigit titulum; ergo cum non præsumit; his positis:

2366. Quæstio est. 1. an ad omnem præscriptionem temporis ordinarii necessarius sit aliquis verus titulus saltem coloratus, vel putativus, seu existimatus? 2. an etiam sufficiat? 3. an idem procedat de titulo merè præsumpto, quando præscriptio est ordinarii temporis? 4. an sufficiat ad præscriptionem temporis longissimi? 5. quid requiratur, ut titulus præsumatur. Ad 1. Resp. quòd sic; nam aliquis titulus requiritur, ergo vel præsumptus, vel coloratus, vel existimatus; at præsumptus, at dicemus ad præscriptionem temporis ordinarii, non sufficit; ergo vel coloratus, vel existimatus.

2367. Ad 2. Resp. ad omnem præscriptionem sufficere titulum coloratum (ut cum communi tradit Schneidewinus l. 2. instit. tit. 2. n. 37.) cum inter titulos præscribendi potissimus sit; imò etiam titulum putativum, seu existimatum ex errore iusto, excepto titulo emptionis, per L. 48. ff. de usucap. ibi: si existimans, debere tibi, tradam, ita demum usucapio sequetur, si & tu putes debitum esse. Aliud, si putem me ex causa venditi teneri, & ideo tradam. Hic enim, nisi actio procedat pro tempore, usucapio locum non habet. Ubi vides, solum titulum emptionis putativum, tanquam insufficientem, excipi; ergo in aliis sufficit titulus existimatus; sed de titulo emptionis, V. n. 2377.

2368. Ad 3. Resp. non sufficere in præscriptione temporis ordinarii, imò tunc nullum præsumi, sed titulum certum alligandum esse, & probandum per L. 27. ff. h. t. ibi: Celsus errare eos ait, qui existimarent, cujus rei quisquè bona fide adeptus sit possessionem, pro suo usucapere cum posse, nihil referre, emerit, necnè; donatum sit, necnè? si modò emptum, vel donatum sibi existimaverit, quia nequè pro donato, nequè pro legato, nequè pro dote usucapio valeat, si nulla donatio, nulla dos, nullum legatum sit. Idem habetur clarius L. 24. C. de R. V. ibi: nullo iusto titulo præcedente possidentes ratio juris querere dominium prohibet. Idcirco cum etiam usucapio cesset, intentio dominii nunquam absimitur.

2369. Dixi, ad præscriptionem temporis ordinarii; sequus enim est in præscriptione

temporis longissimi, nimirum 30. vel 40. annorum; sumitur ex L. 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor. ibi: quicumquè super quolibet jure, quod per memoratum tempus (40. annorum) inconcrissum, & sine ulla re ipsa illata judiciaria contentione possedit, superquè sua conditione, qua per idem tempus absquè ulla judiciali sententia simili munitione potitus est, sit liber, & præsentis saluberrime legis plenissima munitione securus. Unde in tali casu titulum suppler antiquitas rei possessæ; hinc, cum L. ult. C. unde vi, negatur, bonam fidem præsumi posse, casus ibi est de illo, qui scivit rem alienam.

Cæterum bona fides non nititur unice 2370. iusto titulo; sed sufficit inculpabilis ignorantia alieni. Idèd, ut quis exhibeat bonam fidem, necesse est, ut vel titulum, vel diuturnitatem temporis alleget, quod rem possedit, Castropal p. 22. §. 5. nu. 8. & idèd in præscriptione ordinarii temporis, fundamentum præscriptionis est titulus; in extraord. autem antiquitas continuata possessionis. Hinc in iudicio neutrum præsumitur; fundamentum enim causæ probandum est. Quare, qui sufficienter probat antiquitatem continuatæ possessionis cum bona fide, sufficienter probat titulum præscriptioni necessarium, quæ doctrina utroquè jure communis est; & constabit ex n. 2374. & 2375. Excipietamen, ut non valeat illa antiquitas, si aliunde constet de vitioso possessionis initio; tunc enim præsumptio cedit veritati. Exemplo sit, si tanti temporis possessor haberet contra se aliam juris præsumptionem; vel jus commune resisteret possessori, & alisteret actori; V. Schneidewin. cit. Pirhing. cit. n. 48. c. si diligenti, de præscriptionibus, & c. Episcopum, eod. in 6.

2371. Quod in hac materia jure civili dispositum est de sufficientia tituli præsumpti in præscriptione temporis longissimi, recipitur etiam in jure canonico, 2. Ad aures 6. h. t. cum Pontifex inaudisset, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una earum in alterius Parochia 40. annis possedit: respondit, de jure meliorem esse conditionem possidentis; quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit; ubi tamen nota, hoc jus loqui de præscriptione quadraginta annorum; & ex hoc constat responsio ad 4.

Ad

2372. Ad 5. quantum pertinet ad *titulum*, requiri duas condiciones. 1. ut aliunde non sit præsumptio malæ fidei in præscribente; nam hæc præsumptio excluderet præsumptionem iusti tituli, ut diximus n. 2370. Deinde, ut possessioni non resistat jus, eam nimirum prohibendo, ut habetur *c. Episcopum 1. h. t. in 6.* ubi rescribit Pontifex, Episcopum, qui Ecclesias, & decimas, quas ab eo alter Episcopus repetebat, *utpote in sua Diocesi sitas, proponebat, se legitime præscripsisse, debere, cum jus commune contra illum faciat, hujusmodi præscriptionis titulum probare.* Licet enim ad præscribendam rem Ecclesiasticam, si jus commune præscribenti non est contrarium, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides, ubi tamen jus commune, vel præsumptio est contra illum, necessarius est *titulus*, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.

2373. Circa hunc casum not. 1. quando dicimus, ex possessione *temporis longissimi* non præsumi *titulum*, quando possessori jus resistit, intelligi eam resistantiã, vi cujus *considerato jure communi* res possessa ad possessorem pertinere non debeat; licet possit jure speciali, ut notat gloss. in dict. *c. 1.* (v. g. decimæ in aliena Parochia) non autem resistantia, vi cujus jure illi negatur potentia præscribendi; nam talis nec ullo tempore, etiam cum titulo præscribere potest *c. Causam 7. h. t.* ubi Pontifex Parmensi Episcopo mandat, causam inter Reginensem Archidiaconum, & quendam Nobilem *super decimis*, debito fine decidi, *non obstante præscriptione*, vel concessione Ecclesiæ, aut secularis personæ, si Nobilis illam opponat; quia cum Laici decimas detinere non possint, eas nullã valent præscribere ratione; ubi clarum est exemplum juris resistantis *potentia* præscribendi.

2374. Not. 2. dubitari, an in casu, quo Reus Actori (agenti v. g. petitorio decimarum) opponit exceptionem præscriptionis *temporis longissimi*, cui resistit jus commune, ut diximus, requiratur, quod Reus alleget, & probet titulum legitimum; an verò præsumatur? Respondet Layman. in *c. 1. h. t. in 6. n. 2.* quod requiri tunc titulum, existimet Abbas in *c. si diligenti 35. h. t.* Francus ibid. *n. 7.* ipse tamen reputat di-

endum contrarium, sicut tradit gloss. in *c. 1. V. Titulum*, & in *c. 2. V. eundem*; quia si jus commune petitori non assistat, tunc nec possessori resistet in ordine ad hunc petitorum, consequenter præsumptio bonæ fidei erit pro possessore, si eum comparemus cum hoc petitore; siquidem in pari causa melior videri debet conditio possidentis. Exemplum: si Abbas unus contra alterum Abbatem agat iudicio petitorio decimarum; Abbas autem possessor objiciat præscriptionem ortam ex 40. annorum possessione cum bona fide; non arbitrò tituli allegatione, aut probatione opus esse. Hoc verum est, si Actor intentionem suam non habeat fundatam, ut ponitur; sic enim ei jus non assistit, consequenter *quoad Actorem* Reo etiam non resistit; an autem hoc non obstante titulus præsumi possit in casu præscriptionis temporis ordinarii, cum ei jus ponatur resistere, non ita simpliciter dici videtur posse, nisi cum addito, *quoad Actorem*.

Not. 3. à dictis excipi præscriptionem temporis *immemorialis*, ibi: *nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat*; magnæ enim sunt temporis immemorialis prærogativæ, de quibus præcipua est, quæ hic habetur, quod *possessionem temporis immemorialis allegans, non teneatur allegare, & probare titulum.* Unde notat Wagheneck in Exegeſi ad dict. *c. 1. h. t. in 6.* circa præscriptionem *immemorialem*, non cenſeri illam comprehendi ullo statuto, aut lege, quamvis generaliter excludantur omnes præscriptiones; ut, si addatur clausula: *nullã præscriptione obstante*; quia tempus immemoriale specialem favorem atque æquitatem continet, ut aded opus sit speciali derogatione, quæ tamen fieri non solet, si capacitas sit in præscribente, & res præscriptibilis.

Not. 4. ad præscribendum tempore ordinario non requiri determinatè titulum *coloratum*, sed sufficere etiam *existimatum*, excepto titulo *emprionis*; ratio primæ partis est ex *L. 5. & 6. ff. pro legato*, ibi: *ea res, quæ legati nomine tradita est, quamvis Dominus ejus vivat, Legatorum tamen nomine usucapietur, si is, cui tradita est, mortui esse existimaverit*; & *L. 33. §. 1. ff. de usucap.* ibi: *si justam causam*

sam habuerit, existimandi, se heredem, vel bonorum possessorem Domino extitisse, fundum pro herede possidebit: ratio secundæ partis est ex L. 48. ff. eod. relatâ superioris n. 2367.

2377. Verùm hoc postremum (de titulo emptionis) videtur habere quandam exceptionem, ut etiam sufficiat *titulus emptionis* solum *existimatus* in casu, quo alius (v. g. servus, vel Procurator meus, cui emptionem faciendam mandavi) eam mihi tradat, dicens: *se illam emisse meo nomine*. Nam de hoc L. fin. §. 1. ff. pro socio sic habetur: *at probabilis error possidentis usucapioni non obstat, veluti si ob id aliquid possideam, quod servum meum, aut ejus, cujus in locum hereditario jure successi, emisse id falso existimem, quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est, & L. 11. ff. eod. ibi: quod vulgò traditum est, cum, qui existimat, se quid emisse, non posse pro emptore usucapere, hactenus verum esse ait, si nullam justam causam ejus erroris emptor habeat; nam, si fortè servus, aut procurator, cui emendam rem mandasset, persuaserit, se emisse, atque ita tradiderit, magis esse, ut usucapio sequatur. Unde ad hoc sufficit, quòd ex parte Principalis, seu Mandantis in principio contractus bona fides intervenit.*

2378. Difficultas esse potest, an, ut præscribantur *servitutes*, saltem *reales continua*, hoc est, habentes actum continuum, ut aquæ ductus, *suggrundii* (per hoc intelligitur pars tecti uniuscujusquè domus, quæ incumbit extremis capitibus tignorum tectualium, ut exponit Pereyra in Elucid. n. 1415. vel juxta Spiegelium V. eod. regulæ propendentes extra tectum domus, ad parietum defensionem, ne imbris corrumpantur) præscribens teneatur allegare, & probare titulum alium, præter scientiam, & patientiam domini? Resp. quòd non, ex L. 10. ff. si servitus vindicetur, ibi: *si quis diuturno usu, & longa quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus sit, non ei necesse est docere de jure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos fortè tot usum se, non vi, non clam, non precario possedisse.*

* * *

2. III.

De possessione requisita ad legitimam præscriptionem.

2379. Quid, & quotuplex sit *possessio*, constat ex dict. à n. 942. Aliquam porro possessionem rei; quæ præscribenda est, requiri, certum est ex *reg. 3. de reg. juris in 6.* ibi: *sine possessione præscriptio non procedit*, id, quòd etiam habetur L. 25. ff. de usucap. ubi tamen not. ex Ulpiano in L. si quis ante. §. 1. ff. de acquirend. possess. longè aliud esse, *possidere*; aliud esse in possessione, ut notavimus n. 958. nam *custodie causa*, Amicus, Procurator, Creditor in possessione est, qui tamen non possident, nec præscribunt.

2380. Notand. specialiter in dicta regula non dici: *sine possessione præscriptio non recipitur, vel non absolvitur*; sed *non procedit*, ut indicet, possessionem requiri non tantum in initio, & in fine, sed continuo medio quoque tempore, & in progressu dum procedit à principio ad ultimum complementum, ut tradit Petrus Peckius ad dictam regulam 3. n. 4. Ratio porro illius regulæ est, ex eo, quòd lex imitetur naturam, §. *Minorem. instit. de adopt. naturaliter* autem absq; possessione nihil acquiritur, L. *naturaliter. ff. de usuc.* ergo nec jure, seu lege, quæ præscriptionem introduxit. Legislator enim habere voluit certum aliquod indicium, seu argumentum tam de animo negligentis domini, quam alterius occupantis, & dominium acquirere volentis; nullum verò majus animi testimonium esse potuit, quam ex possessione. Nam, qui possessionem rei alienæ bonâ fide accipit, id indubio facit animo dominii acquirendi: qui verò possessionem rei suæ apud alium esse sinit, non videtur eam rem amplius appetere, sed pro derelicto habere; ergo.

2381. Quæstio, est quæ possessio ad legitimam præscriptionem necessaria sit, & sufficiat. Resp. possessionem naturalem tantum non sufficere; secus civilem; ratio primi est, quia aliàs, etiam extra instans translationis, & contractus, posset Dominium esse penes præscribentem, & eum, contra quem præscribitur; deinde depositarius na-

naturaliter possidet, & tamen non præscribit: ratio secundi est, nam aliàs vix ullus per tantum tempus continuat possessionem *naturalem*. 2. absens retinet solam possessionem civilem, & tamen præscribit, per *L. Servi. §. ult. ff. de furtis, l. 1. §. per servum, qui in fuga, ff. de acquir. poss.* sufficit quoque possessio *vera, vel ficta*; multò magis autem *mixta* ex naturali, & civili. Ratio primi est; quia qui fictè possidet fictione juris, verè possidet ad effectum juris, qui est præscriptio: ratio secundi est, quia illa est possessio perfectissima. Advertendum præterea, sufficere etiam *quasi possessionem* ad præscriptionem rerum incorporalium, in eo sitam, quòd non interpellaris, dum non solvis, nec inquietaris à Creditore, vel Actore; sic enim diceris in possessione quæta, & *pacifica* juris non solvendi; Lugo, de *Just. D. 7. S. 2. numer. 14.*

2382. Ex dict. deducitur. 1. rem civiliter possessam ab alio, non posse præscribi. Sic enim ab hoc non potest nisi naturaliter possideri ex dictis; sed hoc non sufficit ex *n. priori*, ergo. Hinc nemo possidens rem pro altero, vel jure solùm utili, præscribit jus directum, v. g. pignoris, hypothecæ: secus est de Dominio utili, hoc enim possidet civiliter. Deducitur 2. incapaces possidendi, esse incapaces præscriptionis; hæc enim ex *numer. 2379.* possessionem præsupponit. Hinc Laicus nullum jus spirituale præscribit.

2383. Deducitur 3. possessionem debere esse continuam, & non interruptam per totum tempus lege definitum, ut constat ex *n. 2360.* Rumpitur autem dupliciter. 1. *naturaliter*, cum post eam rectè inchoatam aliquid ex substantialibus deficit, v. g. bona fides, titulus, possessio. 2. *civiliter*, quando quidem nihil eorum deficit, sed juris autoritate; puta, sententiâ, & quandoquè litis contestatione, vel etiam sola citatione; sed intellige juxta *num. seq.* Interrumpi autem dicitur, cum apponitur impedimentum, ne ulterius procedat, sed omnino cesset. Hoc impedimentum vel est *naturale*, quod fit, quoties aliquid ex requisitis deficit; puta, si deficiat possessio, vel bona fides, &c. vel est *civile*, quod

fit, cum præscriptio per actum juridicum interpellatur, puta citatione, litis contestatione, &c. per illud præscriptio interruptitur *naturaliter*; per istud, *civiliter*.

Notandum tamen. 1. præscriptionem *triennem* non rumpi *civiliter* citatione, vel litis contestatione, cum sit omnino favorabilis, & inducta præcisè in favorem possidentium; Panorm. *c. illud. numer. 11. de præscript. Less. l. 2. c. 6. D. 16. n. 49.* Præscriptio autem *decenn.* vel *vicenaria* cum titulo, aut triennaria, vel longioris temporis sine titulo, civiliter rumpitur, non citatione sola, sed litis contestatione, idquè solùm ex suppositione, quòd Actor vincat. Nam si succumbat, præscriptio, interrupta non censetur, cum interrupta solùm sit, sub illa conditione, ut ex communi sententia tradunt Panormit. Molin. *D. 78. circa med. Less. loc. cit.*

Not. 2. inter *naturalem*, & *civilem* interruptionem esse discrimen; nam præscriptio *solùm naturaliter* interrupta, cessante impedimento incipere denuò potest, & perfici perindè, ac si interruptio facta non esset; si verò civiliter interrupta sit, exigit tempus quadragenarium à puncto interruptionis, ut collig. ex *L. ult. C. de præscript. 30. annor.* Possessio autem *continuata* sufficienter probatur, probando, te antiquitùs possedisse, & nunc possidere; Abbas in *c. cum Ecclesia*, de causa possess. nam ex hoc præsumitur ejus continuatio.

Not. 3. in materia præscriptionis quandoquè dici, quòd *non currat, incipiat, dormiat*, &c. Præscriptio igitur *currit, incipit, & procedit*, quando ad sunt omnia, quæ ad legitimam præscriptionem necessaria sunt, ut bona fides, possessio continuata, titulus, quando is requiritur. *Dormit* autem, quoties cufus ejus per interveniens impedimentum ita sistitur, ut tempus elapsum non quidem in nihilum recidat, sed cessante causâ intermediæ quietis cum tempore subsequenti jungatur, ac cum eodem computetur, solo tempore intermedio non computato. Si talis causa, cujus interventu præscriptio *dormire* dicitur, & non progredi, in principio præscriptionis adsit, à fortiori facit,

ne primò *incipiat*. Ex quo colliges, illà dormitione præscriptionem non fieri discontinuam. Sic *dormit* tempore vacantis Ecclesiæ, vel tempore Schismatis. c. 4. *de præscript.* vel grassantis pestis, & sævientiis belli, c. 10. *eod. & c. primâ actione.* 16. q. 3.

2387. Not. 4. quòd possidentes non suo, sed alieno nomine, præscriptione non sibi, sed illis acquirant, quorum nomine possident; nam tali casu iste, non illi, possidere dicitur ex c. *si litiganti* 17. *h. t.* ubi Innocentius III. ad Episcopum Pisanum scribens ait, Archiepiscopum non præscripsisse *sibi* jus recipiendi juramentum fidelitatis à Tribunali Calaritano: quia hoc *jus nec possedit nomine Sedis Apostolicæ, nec suo; non nomine illius; quia is possidere dicitur, cujus nomine possidetur; non suo,* quia sic argueretur coopto contra juramentum de conservando honore, ac jure Sedis Apostolicæ, ac possedisse sine bona fide, & justo titulo, sine qua præscriptio non procedit.

2388. Not. 5. eum, qui rem aliquam possidere non valet, nec posse præscribere ex *nu.* 2379. nam possessio est unica via & fundamentum præscriptionis, ac effectuum ejus; constat ex c. *Causam.* 7. *h. t.* cum enim quidam Laicus Archidiacono Rheginensi, decimas ab eo repetenti, opposuisset, se jus decimarum illarum præscripsisse; hæc exceptio, & præscriptio rejecta fuit tanquam irrita, quòd *Laicus decimas possidere,* consequenter *nec præscribere possit;* de quo pluribus actum à nobis est superius à *nu.* 2991. verba canonis sunt: *causam debito sine decimas, non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiastica, secularisvè persone, si idem G. opponere eam voluerit: quia cum Laici decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione;* quod verum est de decimis Ecclesiarum, nullo etiam temporali titulo præscribendi illas contra Ecclesiam, ex *nu.* 294. ubi plura de dict. c. *causam.*

2389. Not. 6. quamvis verum sit, Laicos non posse *præscriptione* acquirere jus decimarum spectantium ad Ecclesiam, cum non sint capaces illud possidere, ut dictum est; posse tamen acquirere *Privi-*

legio speciali summi Pontificis; cum illa incapacitas sit juris tantum Ecclesiastici; cum eis concedi possit in feudum; ubi tamen adverte, quòd, esto talis alleget tempus immemorabile; adhuc non probetur *præscriptio;* cum Antiquitas temporis præcisè, sicut non facit verum titulum, sic nec faciat veram, ac juridicam *possessionem;* aliud est, si doceret *de Privilegio;* sed tunc non haberet *præscriptionem.*

§. IV.

De tempore possessionis requisitio ad legitimam præscriptionem.

2390. **S**upponend. 1. tempus continuatæ possessionis necessarium ad legitimam præscriptionem juxta diversitatem rerum, quæ præscribuntur, non esse æquale in omnibus; in quibusdam enim sufficit possessio triennis; in aliis plus, puta quadriennium, vel quinquennium; in aliis tempus longum, vel longissimum, aut immemorabile. Prætermisâ porrò temporis definitione (de qua S. Augustinus i. 1. *Confess.* c. 14. quærens, sic loquitur: *quid est ergo tempus? si nemo ex me querat, scio: si quærenti explicare velim, nescio*) quod Juristæ dicunt esse ex cœli solisque vertigine deductum spatium, in quo rerum omnium agitationem, vicissitudinemque metimur: suppon. 2. tempus, in jure communi (ut ex Sylvestro V. *tempus*, tradit Azor. *tom.* 1. l. 5. c. 28.) haberi duplex, scilicet *continuum,* quod absquè ullo intervallo dierum accipitur, ita ut numerentur dies festi, & profesti, sive præfens sit, sive absens. Reus, vel Actor, sive sit, sive non sit Judicis copia, L. *ult. C. de præscrip. long. temp. & non continuum* (& hoc *utile* vocant Jurisconsulti) quia in hoc dies festi non supputantur: item quia non habetur ratio dierum, in quibus legitimum subsit impedimentum, vel justa excusatio absentis, morbi, aut alterius causæ, c. *ne pro defectu, de elect.* Suppon. 3. *longum* tempus in jure dici *decennium* inter præfentes; *vicennium* inter absentes; *longissimum* triginta, vel

vel quadraginta, aut etiam centum annorum; immemorabile autem adeo longum, ut excedat hominum memoriam, ut communiter exponunt DD. apud Pereyram in Elucidario à n. 1131.

2391. Suppon. 4. in quaestione versari, quomodo hoc *tempus possessionis* sit computandum, ut verificetur, tempus jure requisitum (v. g. triennium, decennium, &c.) esse completum? an de die in diem? an de momento in momentum? an sufficiat, diem, vel horam ultimam esse inceptam? an exigatur, esse elapsam? In L. in usucapione. 15. ff. de divers. temp. praescript. dicitur: in usucapione ita servatur, ut etiamsi minimo momento novissimi diei possessa sit res, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigatur ad explendum constitutum tempus. Contrarium videtur dici L. 6. & 7. ff. de usucap. ibi: in usucapionibus non à momento ad momentum, sed totum postremum diem computamus; ideoque qui hora sexta diei Calend. Januar. possidere coepit, hora sexta noctis pridie Calend. Januar. implet usucapionem; & magis L. 6. ff. de obligat. & actionib. ibi: in omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non finit obligationem.

2392. Suppon. 5. distinguendum esse inter praescriptionem proprie dictam contra actiones, & minus proprie dictam; prioribus sunt, quae excludunt actiones reales, nimirum datas rei vindicandae; posteriores, quae excludunt actiones personales, quibus respondent obligationes: nam in his, solum agitur de liberatione ab obligatione; in illis autem de rei acquisitione; in quo proprie, ac principaliter consistit vis praescriptionis, in quantum convertitur cum usucapione; in altero autem effectu quid diversum habet, ut notavimus n. 2271. quibus positus:

2393. Resp. juxta probabiliorum, & magis communem sententiam, tempus praescriptionis proprie dictae, non de momento ad momentum; sed de die in diem computandum esse sic, ut sufficiat inceptum esse diem ejus ultimum, licet nondum plene elapsus sit; ratio sumitur ex clara lege 15. superius numer. 2391. relata; nec obstant leges illae, quae videntur

Tom. II.

tur stare in contrarium; non L. 6. & 7. tum quod communiter à Doctoribus dicantur in idem concedere, quod habetur L. 15. tum, quia, si bene considerentur, sensus non est alius, quam non computare nos in usucapionibus tempus ab hora ad horam, ut necesse sit, qua hora quis coepit possidere, & usucapere, in eandem horam desinere ultimi anni diem, quo finiatur usucapio; sed computare totum diem postremum, ut scilicet, cum ad eum diem perventum sit, quamvis coeptus tantum sit, non finitus, nihilominus completum censeatur usucapionis tempus; ita DD. communiter.

Quod autem dicitur L. in omnibus, non contrariatur Legi 15. Nam in hac Sermo est de actionibus in rem, seu realibus, quae domino competunt, quas receptum est statim perimi, atque bonae fidei possessor attigit postremum diem temporis constituti ad complendam usucapionem; in L. autem, in omnibus, agitur de actione in personam, seu personali, seu Creditori ex obligatione competenti, quae non perimitur statim, atque postremus dies venit; sed tum demum, cum praeteriit; sic DD. communiter cum Zoëtio in L. 44. ff. tit. 3. n. 6. qui rationem differentiae constituit in eo, quod in perimenda actione personali interveniat solum tempus, cum Debitor nullam re, nulloque jure interim utatur, dum non compellitur solvere; in perimenda vero reali concurrat & usus possessoris bonae fidei, qui ideo magis favorabilis: ut non tam exacte in perimenda actione servetur tempus, in personali vero exactius & subtilius spectetur tempus demum à momento in momentum.

Vel, ut clarius alii, quia in actionibus personalibus, ut quis ab agendo excludatur, constituitur habenti actionem in personam, si intra tale tempus non egerit; & ideo postremus dies totus utilis est actori, adeoque ut contra actionem praescriptam sit (quae tamen est praescriptio minus proprie dicta, ut supra notatum est) necesse est, totum diem effluxisse. Verum enim est, adhuc talem agere intra annum, etiam si ultimam postremi diei horam agat: priores vero leges loquuntur de praescriptionibus proprie dictis, quae excludunt actiones

liii 2

actiones reales, nempe rei vindicandæ datas, in quibus postremus dies aliqua sui parte cæptus, pro completo habetur. Ratio est, quia in his legibus constituitur priori domino in rem actio non sub hac conditione: si ipse intra tale tempus egerit, sed sub hac: si alius possessor non possederit tanto tempore; his præmissis;

DUBIUM. I.

Quo tempore præscribantur res mobiles?

2396.

An te resolut. suppon. præcipuam, & adæquatam divisionem honorum in genere fieri in bona mobilia, & immobilia. Ambo, quamvis ad res etiam incorporeas extendantur, tamen (ut notat Molina tract. 2. D. 68.) propriè dicuntur res corporeæ: ita ut mobilia sint, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia, naves: immobilia, quo loco dimoveri nequeunt, ut prædia, domus, ager. Mobilium appellatione veniunt etiam census redimibiles, quos proinde, attento futuro eventu, & redemptionis tempore, inter mobilia numerat Garcia de benefic. p. 2. c. 5. n. 96. & alii: immobilium autem redditus annui, actiones ad immobilia, pecunia destinata ad emptionem prædiorum, &c. de quibus V. Pereyra in Elucid. l. 2. Elucidat. 6. de Bonis, ac fortunis à n. 745. Inter mobilia quædam sunt privatorum; quædam Ecclesiarum, vel inferiorum Romanæ Ecclesiæ, vel ipsius Romanæ Ecclesiæ. Procedit autem quæstio de his, quæ non laborant vitio, propter quod tempore ordinario præscribi non possint, ut notavimus à n. 2288. ut sunt res furtivæ, &c. de quibus à n. 2301.

2397.

Dicendum igitur, bona mobilia privatorum, etiam si pretiosa sint, cum titulo, & bona fide, de jure civili præscribi triennio; constat ex Q. 1. institut. de usucap. & L. unic. C. de usucapione transform. ubi Justinianus, correcturus jus antiquum, statuit, ut, si quis alienam rem mobilem, seu se moventem, in quacunque terra, bonâ fide, per continuum triennium detinuerit, firmo jure eam possideat, quasi per usucapionem acquisitam; &

paulo post: ut in omnibus justo titulo possessionis antecessoris justa detentio, quam in re habuit, non interrumpatur, licet ex titulo lucrativo ea cæpta sit. Ex hoc habetur, tempus ordinarium, quo de jure civili præscribuntur res mobiles privatorum, esse triennium.

Idem dicendum est, spectato jure canonico de rebus mobilibus Ecclesiatarum, Romanâ inferiorum; de hoc extat Authentica. Quas actiones. C. de SS. Ecclesiis, quæ sic loquitur: quas actiones, alias decennales, alias vicennales, & alias triennales præscriptio excludit; hæc, si loco Religioso competant, quadraginta annis excluduntur, usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus, solâ Romanâ Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel Privilegio. Et quamvis hæc Authentica in vi legis civilis nihil operetur in ordine ad Ecclesias; operatur tamen in vi canonis, cum ab Ecclesia recepta sit. 16. q. 3. c. Placuit. 8. ubi Gelasius Papa ait: Placuit huic sanctæ, magnæque Synodo, ut res, & Privilegia, quæ Dei Ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, & sive à divæ recordationis Imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis donata, & ab eis per annos 30. possessa sunt, nequaquam à potestate Præfulum eorum quæcunque persona secularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat: sed sint omnia in potestate, ac jussu Præfulis Ecclesiæ, quæcunque intra 30. annorum spatium ab Ecclesiis possessa fuisse noscuntur. Quisquis ergo secularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria Privilegia, seu res restituerit, anathema sit.

Ubi not. quod hic tribuitur Gelasio, haberi etiam in Synodo octava, habita ab Hadriano II. c. 18. & ea citatur apud Anselmum, & Polycarpum: sed manuscripti codices Gratiani concordant cum vulgatis; ubi etiam notatur V. secularium, quod in vulgatis legebatur, quisquis ergo Clericorum, & secularium; sed absint illæ duæ voces, Clericorum, vel, ab aliquot vetustis, & ab ipso Concilio Manuscripto. In Concilio impresso legitur: qui contra fecerit, ut sacrilegus judicetur, & donec talia privilegia, &c. Accedit, ex c. ult. cad.

ead. caus. & quæst. ulterior confirmatio, ibi: *sed veneranda Romana leges, divinitus per ora piorum Principum promulgata, rerum eius præscriptionem non nisi per centum annos admittunt; & hoc* (quod etiam res inferiorum Ecclesiarum cum titulo præscribantur trentio, *sacris canonibus in hoc approbationibus dispositionem legum, ac eam canonizantibus*) tradit communis Doctorum; cujus rationem reddit Castropalaus tom. 7. D. unica, p. 22. §. 1. n. 2. quia in præscriptione rerum, & actionum (quæ minore tempore durant, quàm decennio) adversus privatos, Ecclesiâ Romanâ inferiores, nullum privilegium habent; sic ille.

2400. Dubitari autem potest, an idem etiam procedat, quod res mobiles *ipsius Ecclesie Romanae* cum titulo, & bona fide triennali possessione præscribantur? obstat videtur textus in c. *ad audientiam*. 31. de præscript. ibi: *Respicentes insuper, ipsum negotium tangere principaliter Romanam Ecclesiam, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit; in solutione prædicti censûs, & aliorum petitorum, condemnavimus partem adversam, &c. c. cum vobis, eod. ibi: licet tam legali, quàm canonicâ sit definitione statutum, ut contra Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare.* Cum ergo hi textus adeo sint universales, & indistinctè loquentes, & nullo textu possit ostendi restrictio *ad res immobiles*, credo (inquit Haunoldus) insistendo juri scripto, veriorē esse sententiam posteriorem; & ideo negativam sequuntur Panormit. c. *cum dilecta*, de confirm. utili, v. *Possessiones*, & alii. Verùm, his non obstantibus:

2401. In hac quæstione parem esse conditionem Ecclesiæ Romanæ cum aliis inferioribus, tradunt complures, Molina, Layman, Sanchez, & alii, quos citat & sequitur Castropalaus cit. D. unica, p. 22. §. 1. n. 6. Idem tradit Pirhing h. t. n. 90. inter quos etiam est Cardinalis de Lugo, qui Romæ scripsit, utiquè gnarus eorum, quæ in Curia Romana obtinent, ut ait Haunold. tom. 1. tr. 5. n. 271. eandem opinionem specialiter ob ejus auctoritatem probabilem reputans; ratio sententiæ est. 1. ex cit. Authent. *quas actiones*, relata

n. 2398. quia quoad hunc casum Ecclesiâ Romana nullam in jure habet exceptionem, ut patet attentè consideranti dictam authenticam, à jure Ecclesiastico canonizatam, seu receptam.

Postquam enim ibi dictum est, quod, quanquam alias præscriptio temporis *ordinarii* (qualis est decennalis, vel vicennalis in aliquibus; in aliis triennialis) omnes actiones excludat; statim excipiuntur illæ, *quæ competunt loco religioso*, non quidem omnes, sed illæ tantum, quæ alias præscriptione *decennali*, vel *vicennali* excluduntur, & statuitur has non excludi præscriptione minori, quàm 40. annorum; dixi, *non omnes*; quia contra præscriptionem *triennem* non fit hæc exceptio, ut patet ex ipsis verbis legis, ibi: *usucapione tamen triennij, vel quadriennij præscriptione, in suo robore durantibus*; sub hæc ab eo, quod dictum est, actiones, *quæ competunt loco religioso*, non ordinario tempore decenni: vel vicennali excludi; sed requiri, & sufficere tempus longissimum, nempe 40. annorum, subjungit lex alteram exceptionem *Ecclesiæ Romanae*, & statuit, quod contra istam non sufficiat præscriptio temporis etiam longissimi, seu quadragenaria; sed requiratur centenaria; quæ expositio maximè confirmatur ex eo, quod hæc Authentica desumpta sit ex Novella 9. Justiniani, quæ de præscriptione temporis *longissimi* loquitur; ergo ut concordet Novellæ, intelligi debet exceptio *Ecclesiæ Romanae* ab eo, quod dicitur de præscriptione *temporis longissimi* contra alias Ecclesias, ut scilicet in hoc excepta sit Ecclesiâ Romana.

Ad rationes in contrarium Resp. quando in jure dicitur, contra Ecclesiam Romanam non valere præscriptionem, nisi centenariam, intelligi de *præscriptione immobilium*; tum quia triennialis, ut dictum est, etiam posita illa exceptione Ecclesiæ Romanæ, *durat in suo robore* per dict. Authent. & eò solum respicit, ut illam eximat à tempore longissimo, quod sufficit contra inferiores Ecclesias; tum quia textus in c. *ad audientiam* expressè procedit de casu præscriptionis censu annui, ibi: *concessisse singulis annis 40. solidi denariorum*; census autem annui veniunt appellatione *immobilium* ex n. 2396. ergo; eodem sensu accipiendum est c. *Cum*

vobis; nam ibi non agebatur de re nobili, sed de præscriptione *subjectionis*, quam exnobilium Gandersheimense allegabat contra Ecclesiam Hildesensem, quæ immediatè spectabat ad Ecclesiam Romanam, ut notat Gonzalez in cit. c. *Cum vobis*, n. 6.

2404. Præter dicta not. 1. ut præscriptio triennalis procedat, requiri non solum bonam fidem, sed etiam titulum, haberi ex L. *Celsus. ff. de usucapionib. & ex L. nullus C. de rei vindicat. & notavit Covarr. aliis relatis ad reg. possessor. 2. p. §. 2. n. 5. Molin. tr. 2. D. 68. Lessius l. 2. c. 6. d. 7. n. 22. Paul. Layman l. 3. sum. sect. 5. tr. 1. c. 8. n. 23. Sanchez l. 2. sum. c. 23. n. 94. an autem possit esse titulus solum *presumptus*, vel debeat esse saltem *coloratus*, vel *existimatus*; constat ex ante dictis.*

2405. Not. 2. triennium, requisitum pro præscriptione rerum mobilium, intelligendum esse, cum mobilia *per se* præscribuntur; fecus si *accessoriè* præscriberentur; nam præscripto principali v. g. fundo, fructus ex illo percepti præscripti sunt, ut constat ex L. *eos 26. in fine, C. de usuris*, tamen triennium non decurrerit; ita Sanchez cit. n. 95. excipe tamen *res furivas*, & *vi occupatas*; nam cum habeant vitium, non præscribuntur tempore ordinario, de quibus V. dicta à n. 2301.

2406. Not. 3. in præscribendis fructibus alicujus fundi, bona fide possessi, titulum generalem *pro suo*, sufficientem esse; quia hi accessoriè ad fundum præscribuntur, ut docuit Baldus L. 1. n. 8. *Cod. de usuris*, & fructibus legatorum; Covarr. l. 1. *variar. c. 3. n. 7. conclus. 4.* Cardin. Fuschus tom. 4. *conclus. 489. n. 4. & conclus. 492. n. 18.* & Sanchez. l. 2. *Decal. c. 23. n. 94.*

2407. Not. 4. quando supr. n. 2404. diximus ad hoc, ut mobilia præscribantur triennio, præter bonam fidem requiri etiam *titulum*, non excludi eorum præscriptionem *sine titulo*, nisi pro tempore *ordinario*; non autem longissimo 30. annorum; sic ex communi sententia Molina tom. 2. D. 68. in fine; Lessius l. 2. c. 6. d. 7. in fine; Layman cit. c. 8. n. 28. arg. L. 3. *C. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Si enim ibi cavetur mobilia eo temporis decursu præscribi, tacitè supponitur mobilia eo-

dem præscribi debere, cum præscriptio immobilium difficilior sit.

DUBIUM II.

De triennali præscriptione beneficiorum.

2408. DE hac extat talis regula Cancellariæ, quæ est 33. & communiter vocatur *de triennali*, cujus verba sunt: *si quis quacunquè beneficia Ecclesiastica, qualiacunque sint, absquè simoniaci ingressu, ex Apostolica, vel ordinaria collatione, vel electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu presentatione, & institutione illorum, ad quos hujusmodi beneficiorum collatio, provisio, electio, & presentatio, seu quavis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit, dummodo in beneficijs, si dispositioni Apostolica ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit, super eisdem beneficijs taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes de beneficijs ipsis, sic possessis, factas irritas, & inanes censeat decrevit antiquas lites super illis motas, penitus extinguentes.*

2409. Ex hac regula habetur, quod præscriptio longi temporis, de qua in seqq. commutata sit in triennem, sed habentem 8. condiciones in regula expressas, inter quas est *possessio bonæ fidei* (nam sine bona fide nulla præscriptio procedit ex num. 2331.) quæ, cum sit conditio generalis in hac materia; illi regulæ hoc ipso tacitè inest; & quamvis aliqui velint, non requiri bonam fidem (quod Rota sic quandòque judicaverit) rectius distinguitur, Rotam egisse de bona fide *juridica*; non *Theologica*; & iudicaturam ejus accipiendam de illa; non ista; quia jus sacrum non præstat beneficium possessioni *cum peccato*.

2410. Altera conditio est, ut beneficium ab eo possideatur; atquè adeo exigitur ejus *possessio*; de qua jam supra dictum est; tertia conditio est, ut sit possessio *pacifica*; hæc autem est, quando habetur *bene-*

sine ulla lite : unde possidere pacificè beneficium, juxta regulam Cancellariæ de triennali possessione, est idem atquè illud possidere absque ulla lite, ut colligitur ex Azor p. 2. l. 7. c. 35. quò habetur, illam definire *pacificam* esse, si vel ejus Vicario lis mota est super tali beneficio : quarta est *possessio per triennium continuata*; circa quam continuationem dubitari potest, an talis uti possit Accessione temporis, quo ejus Antecessor beneficium pacificè possedit licèt in ejus favorem renuntiatio facta esset? Resp. quòd non, quia ad hoc, ut juvaretur accessione illius temporis, deberet *vi juris in ipsum Antecessore translati* continue possessionem; at hoc in dato casu non contingit; quia jus Antecessoris *renuntiatione* extinctum est; & jus successoris est *vi nova collationis*, vel institutionis.

2411. Quinta conditio est, ut, quòd possidetur, sit *beneficium Ecclesiasticum*; in his igitur, quæ non sunt beneficia Ecclesiastica, non videtur procedere; nec, esto sint, si non possideantur ab his, qui ea habent; ex quo dubitatur an regulæ locus sit *in Officijs Ecclesiasticis*, quæ non sunt beneficia Ecclesiastica? 2. in Abbatijs, & similibus dignitatibus, quas obtinent Abbatis, Præpositæ, & similes? Videri tamen potest, affirmandum; ratio sumitur ex eo, quòd dicta regula *de triennali* videatur desumpta ex decreto Concilii Basil. *sess. 21.* ubi dicitur: quicumquè non violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè, & sine lite *Pralaturam, dignitatem, beneficium, vel officium* triennio proximo, &c. Cæterum in hoc rectius spectatur stylus Curie Romanæ.

2412. Sexta conditio est, ut sit possessio cum titulo *colorato*, qualis jure communi est Apostolica, vel ordinaria beneficii collatio, vel electio, ac ejus confirmatio, aut præsentatio, & secuta institutio; de quo plura Sanchez l. 2. *Moral. c. 1. dub. 21.* quid porrò veniat nomine tituli *colorati*? diximus num. 2332. Plura verò de tit. *colorato* perquam utilia ad usum hujus regulæ tradit Sanchez l. 2. *consil. c. 1. d. 29. à num. 1.* Septima est, *ne ingressus in beneficium simoniacus sit*, intellige simoniã per ipsum

beneficiatum commissã; non per alium. Octava est, *ne sit intrusus*, ibi: *duomodo in beneficijs, si dispositioni Apostolica ex aliqua reservatione generali, in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit.*

Quæstio est, quis censeatur *intrusus*? 2413. Ad hoc communiter respondetur, quòd *intrusus censeatur*. 1. qui sine auctoritate ejus, cujus est beneficium conferre, se in beneficium immittit; 2. qui sine titulo se in beneficij administrationem insert. 3. qui post electionem, ante confirmationem, beneficium administrat; 4. qui beneficium retinet, postquam per sententiam Judicis ab eo est amotus, nisi ab ea sententia jure provocaverit. 5. qui cum excommunicatione, vel suspensione, aut interdicto ab officio beneficium adeptus fuerit: 6. qui per Judicis sententiam declaratus est violenter beneficium occupasse, & sic titulum canonicum, quem habebat, amisisse; juxta c. *eum, qui, de præbend. in 6.*

Aliqui censent septimum *intrusio-* 2414. nis modum esse, si quis possessionem beneficii, à Pontifice concessi, accepit, *signatã solã supplicatione*, seu acceptã solã signaturã, etiam literis *non expeditis*; & hoc propter recentiores Pontificum constitutiones, quibus id nondum constitutum fuerat. Unde, siqui ex antiquioribus Scriptoribus in negativam abierunt; ex eo factum esse credendum est, quòd constitutiones dictæ in ipsorum Provinciis nondum fuerint receptæ.

Difficultas est, an per ejusmodi 2415. Possessionem triennem, munitam dictis conditionibus requisitis, possessore beneficij reddatquè securus in utroquè foro? de foro externo communis affirmat ex verbis regulæ, ibi: *super eisdem beneficijs, taliter possessis, molestari nequeat*; de foro conscientie alii dubitant, volentes, illum per talem possessionem acquirere possessionem, & exceptionem, qua se tueri valeat bonã conscientia contra se molestantes; non tamen *verum titulum*, prout videtur sentire Castropalaus tom. 2. D. 2. p. 33. à num. 2.

Pro

2416. Pro resolut. not. in casu, quo talis beneficiatus beneficium accepit per collationem, vel electionem confirmatam, sed nulliter, propter occultum aliquod impedimentum, impedimentum hoc posse se tenere ex parte collationis; vel ex parte Collatarii, incapacis ad recipiendum beneficium in titulum, per collationem, electionem, &c. Not. 2. impedimentum illud, si sit meri juris Ecclesiastici, posse esse vel tale, in quo Pontifex aut nunquam, aut raro admodum dispensat; vel in quo solet, & frequenter dispensat. Not. 3. si impedimentum tenet se ex parte ipsius collationis, illud posse esse vel tale, quod sit exceptum in tali regula, puta, si intervenit in collatione *simonia*; si *intrusio*, &c. vel, quod non sit exceptum; puta, si quidem intervenit *simonia*, sed commissa *per alium*, ignorante beneficiario; his præmissis:

2417. Quæstio est, an, qui recepit beneficium ex collatione v. g. sed irrita propter impedimentum occultum, juvetur hac regula etiam in foro conscientie, si beneficium possedit triennio cum conditionibus requisitis? Sanchez l. 2. *Consil. moral. c. 1. d. 31. num. 20.* videtur tenere, omnes beneficij possessores triennales, juvari hac regulâ, consequenter triennali possessione, juxta conditiones requisitas, obtinere deinceps tale beneficium in verum titulum, modò titulus *coloratus*, ex quo possident (puta collatio, electionis confirmatio, &c.) non sit irritus vel propter *simoniam*, vel *intrusionem*, vel *reservationem in corpore juris clausam*, & nullitas non proveniat ex impedimento incapacitatis personæ possidentis beneficium, in qua Pontifex dispensare non solet.

2418. Unde *num. 21.* docet, quòd, si conjugatus, vel merè laicus, vel bigamus, recipiat beneficium, & possideat triennio, non, juvetur hac regula. Ratio, quia licet non excipiantur hi in regula at regula loquitur de capacibus beneficij Ecclesiastici; hi verò sunt omnino incapaces, in cujus signum nec accipere possunt beneficium, & si antea acceperant) nempe ante matrimonium, vel bigamiam) eo ipso perdunt, quia sunt incapaces, acquirendi & retinendi; similiter hæreticus acceptans

beneficium, & possidens triennio, non juvatur hac regulâ, quia in hunc non cadit vera possessio; item, quia ob id repellitur *simoniacus*, quia reputatur ut hæreticus: ergo à fortiori hæreticus; sic ille, quo habetur juxta P. Sanchez non ob stare quod vis impedimentum inhabilitans ad recipiendū beneficium; sed omnino inhabilitans, atque *non solitum* dispensari à Papa. Hinc *n. 21.* excommunicatum, vel irregularem non censet *omnino* incapacem beneficij; nam licet non possit tempore excommunicationis obtinere beneficium, vel tempore irregularitatis; potest tamen, obtentum antea retinere; de quo etiam videri potest Haunold. *tom. 5. a n. 284.* & apud eum Cardinalis de Lugo.

2419. Ex his deduci potest 1. in pluribus casibus, usum huius regulæ, plurimum prodesse; & multos juvari, ut exacto possessionis triennio, cum requisitis tamen conditionibus, juventur, & etiam in conscientia securi reddantur, ut notat Haunold. *cit. n. 284.* & deinceps possideant vero titulo, hac triennali possessione præscripto; unde censet idem Author, & meritò, quando generaliter dicitur quod *beneficium Ecclesiasticum non possit licite sine institutione canonica obtineri*, ut habetur Reg. 1. *de reg. jur. in 6.* intelligendum esse, quando præscriptio non fundatur in titulo colorato; quo fit, cum dicitur: titulum ad beneficium non posse præscribi, hoc limitandum esse, ut non procedat de triennali possessione legitime completa, secundum conditiones ad eam requisitas.

2420. Et quoniam incompatibilitas beneficiorum non est impedimentum, quo jam obtinens unum beneficium, v. g. sufficiens decenti sustentationi, vel unum curatum: reddatur omnino incapax ad habendum simile, nec etiam tale, ut in eo Pontifex dispensare non soleat; censet Gomez apud Azor, ut refert Haunold. *cit. n. 687.* habentem beneficia incompatibilia, hac regula juvari, ac defendi posse; quam cum glossa antiqua huius regulæ, Calziodoro, Gomez & aliis approbat Sanchez *cit. a n. 29.* modò post acquisitionem utriusque beneficij incompatibilis cateròquin (secutum sit trienium; secus si antea possedit unum beneficium, & post acquisitionem alterius non sequitur triennium; quia non juva-

juvatur hac regula; sic Gomez q. 10. in fine, dicens sic decidisse Rotam; & cum illo Sanchez n. 30. qui pluribus locis notat, licet impedimenta quædam, obstantia beneficiorum receptioni, faciant etiam titulum, non esse coloratum (ut defectus potestatis in conferente, privatio iure inducitur, excommunicatio, irregularitas, &c.) in ordine ad alios juris effectus; non tamen in ordine ad effectum hujus regulæ, nisi sint intercepta.

DUBIUM III.

De tempore requisito ad legitimam præscriptionem immobilium.

2421. **S**upponend. jure communi præscriptionem longi temporis esse inter præsentem 10. inter absentes 20. annorum; & hanc eodem jure sufficere ad præscriptionem immobilium suppositis cæteris quoque conditionibus ad legitimam præscriptionem requisitis; quo habetur immobilia privatorum præscribi possessione longi temporis, munita cæteris quoque conditionibus; habetur §. *Immobilia, institut. h. t. ibi: immobilia verò per longi temporis possessionem* (id est, inter præsentem decennio, inter absentes viginti annis) *usucipiuntur*; & toto tit. præsertim *L. ult. C. de præscript. longi temporis*. Ex dictis porro juriibus sequitur tempus ordinarium præscriptioni immobilium *contra præsentem*, esse tempus longum, nempe 10. *contra absentes*, 20. annorum, juxta exceptionem notatam in præmissis.

2422. **Q**uestio autem est. 1. qui *præsentem*, & *absentes* censeantur ad effectum præscriptionis? respondet Molina tom. 1. tr. 2. D. 69. ex *L. ult. C. de longi temp. præscript.* statuente, eos *præsentem* censeret, qui in eadem provincia commorantur; sive res præscribenda in eadem sit provincia, sive non; hoc tamen (inquit ex *gloss. & Bart.*) verum erat, quando provinciæ per Præsidentem unum, communemque omnium Judicem regerantur: verumque etiam esset hodie, si provinciæ aliquæ simili modo regerantur: quia tamen hodie singulæ civitates habent ut plurimum suos supremos Judices, quorum jurisdictio, certis quibusdam locorum terminis clauditur, spatiumque integrum jurisdictiois, Latini *conventum* dicebant; hinc est, quod hodie illi censeantur *præsentem*, qui in eodem habitant;

Tom. II.

illi verò, qui in diversis ejusmodi partibus, seu conventibus degunt. Zoësius l. 7. in *Cod. tit. 33. præsentem*, inquit, dicitur, qui in eadem provincia cum parte adversa domicilium habet, ut conveniri possit, & interrumpi possessio, sive res ibi sit, sive alibi; *absens*, quando alteruter in alia provincia habet domicilium, *L. fin. h. t.* ubi in annotationibus lit. A. additur, quod is, qui in diversis provinciis domicilium habet, in omnibus pro præsentem habeatur, *L. ult. C. h. t.*

2423. **Q**uestio 2. est, quid dicendum, si is, contra quem præscribitur, partim præsentem, partim absens fuerit? Resp. ex Authent. *Quod si quis. C. de long. temp. præscript.* ibi: *quod si quis quibusdam præsentem sit, quibusdam absens, adiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens.*

2424. **Q**uestio est. 3. an præscriptio temporis ordinarii procedat hodie, etiam in rebus mobilibus, & immobilibus *Minorum*? De hac *quest. L. ult. C. in quibus causis restit. in integr. non est necess.* sic loquitur: humanus est, latius eandem legis interpretationem extendere in omnibus casibus, in quibus vetera jura currere quidem temporales præscriptiones adversus *minores* concesserunt, per in integrum autem restitutionem eis subveniebant: *eas ipso jure non currere. Melius etenim est, intacta eorum jura servari, quam, post causam vulneratam, remedium querere*, videlicet exceptionibus 30. vel 40. annorum in suo statu remanentibus; quo habetur res illas *Minorum* nec cum titulo præscribi tempore ordinario.

2425. **N**ot. autem, me dixisse immobilia præscribitur titulo tempore ordinario, nimirum longo, 10. vel 20. annorum. Nam *sine titulo* nec res mobiles privatorum præscribuntur, nisi tempore 30. annorum, atque adeo longissimo, prout habetur *L. si quis 8. C. de præscript. 30. annor.* ibi: *si quis emptionis, vel donationis, vel alterius cujuscumque contractus titulo rem aliquam, bona fide per decem, vel viginti annos possederit, & longi temporis exceptionem contra dominos ejus, vel creditores, hypothecæ ejus præcedentes sibi acquisiverit, postea, fortuito casu possessionem ejus rei perdidit, posse cum etiam actionem ad vindicandam rem eandem habere sancimus*; hoc enim & veteres leges (si quis eas rectè inspexerit) sanciebant. Si enim præscriptio immobilium *defectu tituli*

Kkkk

remo-

removetur à tempore ordinario, à fortiori id sequitur de præscriptione mobilium; cum longè pronius sit in hac, ex tali defectu, præsumi malam fidem.

2426.

Ab eo autem, quod diximus *n. 2421*. excipe immobilia Ecclesiarum, Romanâ inferiorum; nam adversus Ecclesias, Romanâ inferiores, in immobilibus non præscribitur, nisi annis quadraginta, consequenter tempore longissimo, 40. annorum. Et quamvis olim, ut censet Pirhing. *h. v. num. 92.* sufficerent anni. 30. ut colligitur ex *16. q. 3. c. Quicumque* 4. ibi: quicumque Episcopus alterius Episcopi diocesim per *triginta annos*, sine aliqua interpellatione, possederit, quamvis secundum jus legis, ejus non videatur esse diocesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi. Sed hoc intra unam Provinciam: extra verò nullo modo, ne dum diocesis defenditur, provinciarum termini confundantur; & *c. placuit. 8. ead. caus. & quæst.* ibi: ut res & privilegia, quæ Dei Ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, & sive à divæ recordationis Imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in Scriptis donata, & ab eis per annos 30. possessa sunt, nequaquam à potestate præsulum eorum quæcunque persona secularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat: sed sint omnia in potestate, ac jussu Præsulis Ecclesiæ, quæcunque *intra 30. annorum spatium* ab Ecclesiis possessa fuisse noscuntur: quamvis, inquam, olim sufficerent *anni 30.* hodie tamen requiruntur, & sufficiunt contra illas (secluso privilegio) anni 40. intellige cum exceptione, de qua supra; constat *1. ex dict. n. 2398.* ex Authent. *quas actiones, ibid. relatâ.*

2427.

Deinde etiam ex *c. de quarta. 4. h. v.* ubi Alexander III. ait: *de quarta decime, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenalis præscriptione temporis, se posse tueri videtur, nisi fortè interim pastoralis Sedes caruisset Pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset. Nam Romana Ecclesiæ triennalem præscriptionem, contra Ecclesiam, non admittit.*

2428.

Dixi: ut *immobilia* Ecclesiarum inferiorum præscribantur, requiri nunc, & sufficere 40. annos, suppositis cæteris conditionibus, & *secluso privilegio*; quædam enim Ecclesiæ, & loca religiosa, privile-

gia sunt. Nam adversus Monasteria Ordinis S. B. Benedicti, & Ordines eorundem privilegiis gaudentes, requiruntur 60. anni juxta privilegium Eugenii Papæ apud Less. *l. 2. de Jure, & justit. c. 4. d. 3. n. 25.* Legata, donata, vendita civitatibus, quæque ad Coronam Regni, vel Principatum, aut Provinciam spectant, centum itidem annos requirunt, ut præscribi possint juxta *L. ut inter, c. de sacros. Eccles.* in Germania adversus Monasteria Ordinis Cisterciens. S. Bernardi, requiruntur anni centum, ut tradit Haunold. *tom. 1. tr. 5. num. 300.* ubi addit, hoc ultimum Ordinibus Mendicantibus à Leone X. & Pio IV. concessum esse, ratione immediatæ subjectionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ, sub cujus protectione suscepti sunt.

Dixi. 2. *Ecclesiarum inferiorum.* Nam contra Ecclesiam Romanam immobilia non præscribuntur nisi possessione centenariâ, constat ex dict. *n. 2398.* ad eodque non sufficit quadragenaria, excepto casu unico, de quo agitur *c. fin. h. v. in 6. & si post mortem*, ubi dicitur: si aliqui hæretici decefferint (qui, dum vixerunt, Catholici putabantur, & bona ipsorum à filiis eorum, aut nepotibus, vel quibuscunque etiam extraneis hæredibus Catholicis 40. annis bona fide possessa fuerant) postea molestandi non sunt, *tametsi ea bona ad Ecclesiam Romanam pervenire debuissent.*

A communi regula, contra Ecclesias Romanâ inferiores, immobilia præscribi 40. annis, non autem minori tempore, casus specialis excipiendus est, de quo agitur *c. placuit. 1. h. v.* ubi dicitur, quod, si quispiam Prælatorum, locum aliquem, ad fidem Catholicam converterit, & per triennium tenuerit, non repente Episcopo, ad quem de jure pertinet, ulterius repeti non possit; excipiuntur tamen duo casus, ubi hoc non procedit. 1. si Ecclesia Cathedralis vacaverit, non præjudicatur ei, quò minus constituto Episcopo locus repeti queat; deinde, si Episcopus ab hæresi ad fidem Catholicam redierit, ex tempore reditus triennium ipsi conceditur ad repetendum locum, qui ad Ecclesiam Cathedralium pertinet.

Ex hoc textu habetur, si Episcopus hominès à fide alienos, licet olim spectaverint ad alienam diocesim, per se, vel suos reducat ad fidem, & subjectionem alias Ordinario debitam, & triennio in ejus loci possessione per-

perseveret, veteri Ordinario illos ad suam jurisdictionem non repetente, sed tacente (etiam Sede non vacante) territorium illud contra tacentem præscribi sic, ut deinceps non ad veterem Dicecesin, sed præscribentis pertineat; quod obtinere potest in casu, quo terræ fidelium, temporum, aut bellorum iniquitate, per Turcas, vel Hæreticos abreptæ, ac à debita subjectione, & vera fide alienatæ, justis Catholicorum Principum armis recuperantur. Dixi: *Sede non vacante*; nam vacante Sede contra illam non curret præscriptio, ut dicemus inferius. Unde etiam in ipso textu insinuat, quòd dictæ præscriptioni non esset locus, si etiam talis loci hominibus à vera fide lapsis ipse Episcopus ab eadem defecisset, nisi, postquam talis Episcopus ad fidem Catholicam reversus, ex die, quo conversus est, intra triennium eos homines, qui ad Cathedram ejus pertinebant, non revocaret.

DUBIUM IV.

De præscriptione contra Ecclesias, ac earum bona.

2432. **E**X dictis constat, res mobiles Ecclesiarum, etiam Romanæ, præscribi triennio suppositis cæteris conditionibus ad legitimam præscriptionem requisitis; ratio sumitur à n. 2400. quòd à fortiori procedit, etiam de Monasteriis, & locis cæteròquin privilegiatis in n. 2428. Constat 2. res immobiles, etiam Ecclesiarum Romanæ inferiorum, & non exceptarum Privilegio, quæ privilegiatæ non sunt, non præscribi tempore longo, seu Ordinario, sed solum longissimo 40. annorum ex n. 2426. & hanc sufficere, sed juxta dicta à n. 2429. non autem minori, extra casum, de quo n. 2430. & seqq. Beneficia verò possessione triennali, juxta explicationem regulæ de triennali, à n. 2408. quibus prænotatis:

2433. Quæstio est, an una Ecclesia contra aliam præscribere valeat, & quanto tempore? videtur enim quòd non; quia privilegiatus regulariter non utitur Privilegio contra pariter privilegiatum; cum ergo quælibet Ecclesia gaudeat Privilegio, quòd contra

Tom. II.

ipsam non præscribatur, nisi possessione quadragenaria; Ecclesia, contra quam minori tempore (decennali v.g. vel vicennali) præscribit altera, non poterit huic pariter privilegiatæ opponere suum Privilegium, vel uti suo Privilegio contra ipsam, utpote pariter privilegiatam; ergo una Ecclesia minori tempore, quàm quadragenario præscribet contra alteram potest.

Nihilominus dicendum, valere quidem præscriptionem unius Ecclesiæ contra aliam, sed solum quadragenariam; probatur ex c. ad aures 6. h. t. ubi, cum inaudisset Pontifex, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una earum in alterius Parochia, 40. annis possedit: respondit, de jure meliorem esse conditionem possidentis; quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit. Altera verò pars præter dicta etiam habetur in c. Illud 8. eod. ubi refertur Pontifex adversus Ecclesias, præscriptionem, 40. annis minorem, ab Ecclesia Romana non admitti, licet quidam Canones comprobent tricennale. Verum si de præscriptione, & interruptione fuerit mota quæstio, ab utraqùe parte testes recipi debent, & si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. Similiter inter duos Abbates ortam de finibus contentionem jubet agrimenforis definitione terminari in præsentia Judicis, 40. tantum annorum præscriptione utriqùe parti servatâ; ut habetur c. Quia 9. eod.

Ex his decisionibus habetur. 1. valere præscriptionem immobilium unius Ecclesiæ contra aliam; 2. non tamen minori tempore, quàm quadraginta annorum; excipe casum, de quo num. 2430. ex c. Placuit. 1. h. t. Ad rationem dubitandi n. 2433. & cum dicitur, privilegiatum uti non posse privilegio suo contra æquè privilegiatum, & eo casu, conquassato hinc inde Privilegio, standum juri communi, id procedere tantum; quando uterqùe privilegiatus in specie concurrat in actu, & exercitio sui privilegii; in proposito autem non datur hujusmodi concursus, sed sola Ecclesia, contra quam præscribitur, privilegiata est, & in specie agit de usu, & exercitio sui privilegii circa quadragenariam præscriptionem, Ecclesia verò præscribens, licet aliàs in genere pri-

Kkkk 2.

vile-

vilegiata existat, ut non nisi quadragenariam præscriptionem patiatur, nihilominus tamen, dum contra aliam præscribit, non exercet suum privilegium, nec ullum jure concessum est Ecclesiæ præscribenti, sed ei soli, *contra quam præscribitur*, ac subinde merito hæc contra illam privilegio uti potest; quia, propriè loquendo, cum non concurrant privilegia in specie, non concurrunt duo privilegiati, sed ille solus privilegiatus dicitur, qui in privilegiū ad actum reducit, juxta *L. ult. ff. ex quibus causis major*. sic Abbas in dict. c. *ad aures. num. 3.* Felinus *ibid. numer. 29. & alii.*

2436. Præter hæc not. quando in c. *illud* dicitur: *licet quidem canones comprobent triennemem*, nimirum præscriptionem immobilium contra Ecclesias (intellige Romanâ inferiores) notari, quod datâ contrarietate, seu varietate canonum recurrendum sit ad Ecclesiam Romanam, & tenendum, quod stylus Curie illius servat, c. *ex literis, de constit. & c. quam gravari, de crimin. falsi*; Canones autem illi, qui etiam adversus Ecclesiam admittunt præscriptionem *triennemem*, habentur 6. q. 3. c. 1. & 2. qui hodie non tenent; quamvis saluum maneat, quod supra c. 1. statuitur, ut Episcopus, qui locum alienæ Diæcesis ad fidem convertit; intra triennium illum possit præscribere contra aliam Ecclesiam, de quo *V. num. 2430.*

2437. Not. 2. privilegium, ne immobilia Ecclesiarum minori tempore, quam quadragenario præscribantur, procedere. i. sive privatus, sive Ecclesia contra Ecclesiam præscribat; ex dict. à n. 2434. Deinde etiam procedere de præscriptione immobilium pertinentium ad Monasteria, Hospitalia, vel alia loca *Religiosa*; nam hæc omnia in materia privilegii veniunt nomine *Ecclesiæ*, ut alibi diximus, & constat ex Authent. *quas actiones*, à nobis relata superius n. 2398. tertio procedere, ne minori tempore præscriptio vim habeat contra actiones competentes Ecclesiæ, vel loco religioso, ex legato, vel donatione facta ad pias causas, ut constat ex ead. Authent. *quas actiones*; aliud est de bonis *Ecclesiasticorum*, non *Ecclesiasticis*, sed *patrimonialibus*; nam privilegium istud in hac materia concessum Ecclesiis, ea-

rumque bonis, non extenditur ad personas, nisi ratione bonorum, quæ *Ecclesiastica* sunt; non, quæ præciè *Ecclesiasticorum* sunt; sic Abbas in c. *Sanctorum b. t. n. 6.* & alii.

Not. 3. quandoque fieri, quod jus commune resistat præscribenti, & assistat contra illum agenti; quandoque autem resistat quidem illi; non assistat tamen illi; & tali casu dubitari, num exceptio præscriptionis, agenti v. g. petitorio in causa decimarum, ritè ac legitime opponatur? Sed hanc quæstionem resolvimus superius.

Not. 4. Privilegium Ecclesiæ Romanæ (quod contra ipsam non procedat, nisi præscriptio 100. annorum) intelligi de præscriptione, quæ *directè*, ac principaliter tendit ad præscribenda illius bona; non autem solum *indirectè*; puta, si contra Usufructuarium, qui jus utile habet in bonis Ecclesiæ Romanæ, salvo jure directo hujus; sic gloss. in c. *ad audientiam* 13. b. t. *V. Principaliter*; & Abbas *ibid. num. 22.* nam in tali casu sufficit præscriptio temporis ordinarii, cum non sit contra Ecclesiam; aliud est, si quis ex bonis alterius jus haberet nomine *Ecclesiæ Romanæ* percipiendi censum annuum; nam in hoc casu non procederet præscriptio, nisi centenaria; sic enim læderetur directè jus ipsius Ecclesiæ Romanæ; & de hac agitur dict. c. *ad audientiam.*

DUBIUM V.

De tempore, quo præscribitur adversus Principem, vel ejus Fiscum?

A D hujus quæstionis resolut. not. quinque communitè statui classes bonorum Principi competentium. 1. quæ illi competunt in recognitionem supremæ ejus potestatis; & hæc nullo tempore præscribi possunt; ut dictum est supra n. 2313. 2. quæ ipsi ratione dignitatis, & specialis prerogativæ reservantur. 3. quæ sunt annexa coronæ Regni: 4. quæ pertinent ad Fiscum Principis; 5. quæ ipsi, ut privatæ personæ competunt; sic Covarr. in *Regul. Possessor. p. 2. q. 2. n. 7.*

Not. 2. ex bonis Principi competentibus ratione suæ dignitatis, reservata quædam esse, quæ Princeps nunquam communi-

municare solet, aut concedere ulli subdito; ut leges condere totum Regnum obligantes, monetam nomine proprio cudere, ad ipsum ultimam appellare, potestas procedendi in causa, appellatione remota, revocare sententiam, quæ transivit in rem judicatam.

2442. Quædam, quæ ad jurisdictionem Principis pertinent, & ab eo quandoquæ, etsi raro, subditis concedi solent; cujusmodi sunt vestigalia, & tributa imponere, legitimitate illegitimos, creare tabelliones, veniam ætatis minoribus concedere, infamem restituere pristinae famæ, remittere poenam delicti, si pars adversa non sit læsa, punire malefactores ultimo supplicio; & universim ea, quæ ad merum, & mixtum imperium in quocunque gradu spectant. V. Castropalaus de Justitia in genere tom. 7. D. unica, p. 22. §. 14. & alii. Inter bona verò, quæ Principi competunt ratione coronæ, numerari saltus ferarum, prata, & pascua, prædia urbana, & rustica, castra, Urbes, &c.

2443. Not. 3. bona vacantia, & fisco denuntiata, sed nondum incorporata, esse illa, quæ fisco debentur ex morte alicujus sine legitimis hæredibus defuncti; nam illis deficientibus fisco succedere alio loco tradi solet; his prænotatis:

2444. Resp. 1. bona, quæ competunt Principi in recognitionem supremæ potestatis, nullo tempore præscribi; constat ex dict. n. 2313. & tradit Panormit. c. cum nobis. n. 12. de præscriptionib. Decius, cons. 303. col. Andr. Fachinæus l. 13. c. 81. Molina tr. 2. D. 74. conclus. 2. Lessius l. 2. c. 6. D. 12. num. 41. & habetur L. competit. C. de præscript. 30. annor. quia, ut rectè tradit Molina cit. D. 74. conclus. 3. præscriptio subditorum, omnem suam vim habet ex voluntate sui Principis, nequæ ad alia extendi potest, quàm ab ipso fuerit constitutum; non enim subditi aliis legibus, quàm sui Principis reguntur; at verosimile non est, imò nec rationi consonum, leges aliquas à Principe constitui, quibus subditi à recognitione suæ supremæ potestatis eximantur.

2445. R. 2. bona, quæ Principi competunt ratione suæ dignitatis, si sunt primæ classis, de quibus n. 2441. nunquam præscribi, propter eandem rationem, quæ data est præced. num. sic Molina cit. D. 74. se-

cus est de bonis secundæ classis in n. 2442. prout habetur in c. super quibusdam. §. præterea, de Verbor. significat. sic Covarru. ad reg. possessor. 2. p. §. 2. n. 8. & §. 3. à principio; Lessius l. 2. c. 6. D. 12. n. 41. Fachinæus l. 13. c. 81. & ad hanc præscriptionem sufficere tempus quadragenarium cum titulo, ut tradit Castropal. cit. §. 14. n. 7. ubi etiam assignat discrimen privilegii concessi Civitatibus, requirentis 100. annos, pro bonis competentibus ex hæreditate, legato, donatione, fideicommissio, empto.

2446. Resp. 3. bona Principi competentia ratione coronæ, ex hæreditate, legato, donatione, fideicommissio, empto, præscribi posse, sed tempore solum centenarium cum titulo; sine titulo, solum tempore immemoriali; quæ verò alio titulo, secus; ratio sumitur in hoc casu à Privilegio civitatibus concessio, quoad bona ex illis titulis; sic Castropal. cit. num. 8. & post illum Pirhing h. t. num. 104. sic enim sunt bona regni.

2447. R. 4. res fiscales, seu mobiles, seu immobiles, vacantes, & denuntiatas, contra Fiscum præscribi spatium quatuor annorum; ita constituit Constantinus Imperator in L. 1. C. de quadrienni præscriptione, ibi: notum est, à fisco quæstionem, post quadriennium continuum, super bonis vacantibus inchoandam non esse. In hac materia aliam quoque constitutionem edidit Zeno Imperator L. 2. C. eod. quæ in compendio habetur §. fin. instit. h. t. ubi etiam continentur, quæ Imperator illi adjecit, ibi: Edicto D. Marci cavetur, cum, qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit, posse Dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem divæ Memoræ Zenonis (quam retulimus) bene prospexit iis, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid, ut ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, sive experiantur, sive convēniantur; adversus autem sacratissimum ærarium usquæ ad quadriennium liceat iis intendere, qui pro dominio, vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putaverint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem divina constitutio, quam nuper promulgavimus (& habetur L. 3. C. eod.) etiam de iis, qui à nostra, vel Vene-

rabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfata Zenoniana constitutione continentur.

2448. Circa istam dispositionem not. illam procedere de *fisco seculari*; nam quoad bona adversus *fiscum* etiam Ecclesiæ inferioris non procedit præscriptio, nisi quadragenaria, licet ei necdum incorporata sint, cum hoc universim procedat de actionibus *religioso loco* competentibus, ex c. 2. *h. t. in 6.* Jam autem loquendo de *fisco seculari*; not. 2. contra hunc, bona illi necdum denunciata, & ab alio bona fide possessa cum titulo, præscribi eo tempore, quo alia bona privatorum L. 18. *ff. de usufructu.*

2449. Not. 3. cum dicitur, quod Dominus, aut Creditor non possit Emptorem convenire, sed debeat *Fiscum*, in rebus ab hoc emptis, intelligendum, ubi agitur de proprietate, vel hypotheca rerum emptarum à *fisco*; aliud enim est in emptore hereditatis, L. 41. *ff. de jure fisci*, ubi dicitur, quod talis debeat actionem, quæ contra defunctum competebat, excipere. Not. 4. contra actionem *fisco* competentem propter non solum vectigal, præscribi quinquennio L. 2. *C. de Vectigal. & commissis*; exceptionem autem pecuniæ non numeratæ, nunc *biennio*; *insit. de lit. obligat.*

DUBIUM. VI.

Quo tempore præscribantur jura spiritalia?

2450. **Q**uestio 1. est, quo tempore præscribatur contra *Beneficiatum*, cujus præbendam, seu beneficium alius possidet? Resp. cum titulo, & bona fide præscribi decennio inter præsentem; vicennio inter absentes, *de jure communi*, nimirum sicut privatorum aliorum bona immobilia, de quibus n. 2421. dixi, *de jure communi*; qualiter autem id fieri possit præscriptione triennali, speciali dispositione regulæ 33. Cancellariæ, expositum est à n. 2408.

2451. **Q**uestio est. 2. quo tempore præscribatur jus eligendi? v. g. Episcopum ad Ecclesiam Cathedralē, &c. Resp. di-

stinguendum, an, si Glericus extraneus sit præscribens, & agat de præscriptione juris eligendi, exclusis aliis, quibus id jure communi competit? an tantum cœligendi, nimirum cumulativè, cum illis concurrente? in primo, cum jus commune præscribenti hoc casu resistat, requiritur cum titulo colorato (v. g. Privilegii Apostolici) præscriptio quadragenaria; sine titulo, immemorialis, per c. 1. *h. t. in 6.* in secundo autem sufficiunt 40. anni sine alio titulo, modò probetur scientia, & patientia domini; nam hic titulus in juribus incorporalibus sufficit, ut notat gloss. in c. *cum Ecclesia*, de causa possess. V. *Brevitatem temporis*; nam in hoc casu præscribenti non resistit jus commune.

Questio est. 3. quanto tempore jus patronatus præscribatur? Resp. distinguendum, an agamus de præscriptione contra Patronum? an, contra Ecclesiam, ut, quæ fuit libera, evadat patronata? In. 1. sufficit præscriptio temporis ordinarii; sic Molina D. 70. & 75. *Less. l. 2. c. 6. D. 10. n. 3.* Layman. l. 3. *Summa, sect. 5. tr. 1. c. 8.* quia, si res rectè attendatur, in hac præscriptione non Ecclesiæ, sed privato, qui patronatum præterdit, præjudicatur. Ecclesiæ namquæ parum refert, hunc vel illum habere patronum; & fortè, qui possedit, utilior erit, quàm is, qui præterdit, minorquæ variatio evenit, si possidens in jure patronatus conservetur, quàm si eo dejecto alius tertius admittatur. Magis enim interest Ecclesiæ, ne absquæ ejus consensu novus fundatarius, aut emphyteuta mutetur, & tamen tempore ordinario diximus posse feudum, aut emphyteusim Ecclesiæ adversus privatum præscribi; ergo à fortiori poterit jus patronatus. Adversus Ecclesiastam autem non præscribitur nisi quadragenario cum titulo, vel tempore memoriam hominum excedente, quia jus resistit huic servituti. Sed hoc spectato jure antiquo intelligendum est, nam juxta *Trident. sess. 25. c. 9. de reform.* omnis patronatus exclusus est, qui non fuerit ex fundatione, vel dotatione Ecclesiæ, & ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur; de quo ex professo agimus l. 5. *tit. 38.*



DUBIUM VII.

De præscriptione servitutum.

2453

EX servitutibus quædam sunt, quæ habent certum, & continuum usum, qualis est ducendæ aquæ; quædam, quæ discontinuum, ut est servitus itineris, actûs, viæ; quo posito: dicendum, omnes servitutes, siue habeant usum continuum, siue discontinuum, cum titulo colorato, præscribi longo tempore, nimirum decennio inter præsentem; vicennio inter absentes; prout habetur in *L. fin. C. de præscript. long. temp.* ibi: *nemo posthac dubitet, nequè inter præsentem, nequè inter absentes quid statuenndum sit, ut bono initio possessionem tenentis, & utriusquè partis domicilio requisito sit expedita quaestio, pro rebus ubicunquè positis, nullâ scientiâ, vel ignorantia expectanda, &c.* Eadem observando, si res non soli sint; sed incorporales, quæ in jure consistunt; veluti usufructus, & cæteræ servitutes. Ubi not. quòd in hac lege non agatur de acquirenda libertate à servitute; sed acquirendo jure servitutis; nam, ut quis eximatur ab onere passivo servitutis in fundo v. g. suo, & consequenter præscribat contra habentem tale jus, in præscribente non requiritur bona fides ab initio possessionis, ut diximus n. 2348. & 2378. at in hac lege requiritur, ibi: *ut bono initio possessionem tenentis*; not. 2. in hoc casu non requiri, quòd præscribens usum servitutis exerceat *sciente vero rei domino*; habetur ex ead. *L.* ibi: *nullâ scientiâ, vel ignorantia expectanda*; not. 3. sufficere titulum, quem quis habet à non domino; qui quasi Dominus constituit servitutem; not. 4. idem observandum, non tantum in servitutibus, quæ soli, seu rei corporalis sunt; sed etiam, quæ sunt incorporales, & in jure consistunt, ut usufructus, & cæteræ servitutes.

2454

Quæstio præterea est, an servitutes, habentes usum certum, & continuum præscribantur longo tempore, etiam sine titulo? 2. an etiam habentes usum discontinuum? Ante resolutionem, præter dicta, nota, reales servitutes, quæ absolutæ servitutes nominantur, nihil aliud esse, quam

jus quoddam prædiis coherens, vel urbanis, quæ habitandi causâ factâ; vel rusticis, quæ rusticæ rei serviunt, siue ruri siue in urbe; nequè enim loco, sed usu, & fine distinguuntur hæ species, *L. urbana, L. fundi, ff. de V. S.* ubi adverte ly prædiis coherens; nam si in rebus mobilibus constituantur servitutes, non sunt servitutes reales; si enim legatus est usus jumentorum, ut in fundo tantum meo, opus rusticum facerem, est servitus personæ: item què si mihi jus pascendi pecoris, in fundo tuo cessisti, *L. 4. & 5. ff. de servit. rustic. præd.* quia hic non prædii causâ; imò, licet prædii causâ, non tamen debetur à prædio; & ratio est, quia hæ servitutes, perpetuum usum exigunt, *L. servitutes. 14. ff. h. t.* quem res mobiles non præstant.

Advertend. 2. ad urbanam servitutem 2455
spectare, tignum immittere, stillicidium, flumen recipere, altius non tollere, prospectus, lumen, & alia, de quibus *instit. & ff. de verb. sign.* quod de servitute altius tollendi intelligendum videtur, quatenus continet necessitatem altius tollendi ædes suas, in commodum vicinarum ædium, ad averteendam fortè vim ventorum, deflectionem ardoris solis, *L. si arborem. 17. & §. interdum, ff. de servit. urbanis*; quomodo & stillicidium non recipere, servituti rectè attribuitur, cum oneri sit; non posse aquam ædibus suis delabentem recipere, sed eam ad vicini cisternæ, aut aræ commodum cedere, *L. 2. tit. cit.*

Advert. 3. rusticas servitutes esse, iter, 2456
actum, viam, & alia similia, ut habetur in *instit. h. t.* intelligendo hic per aquam aquæ ductum per fundum alienum, per fistulas, per digitos, aut canales, *L. pen. ff. de servit. rust.* & aquæ haustum ex puteo privato, fonteve alieno, *L. 2. §. 1. L. 3. in fin. ff. eod.* quæ tamen & personales dicuntur, si personæ constituantur; quibus positus:

Ad. 1. Resp. comuniter affirmari à 2457
Jurisperitis ex *L. 10. ff. si servitus vindicetur*, ibi: *si quis diuturno usu, & longâ quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus sit, non est necesse ei docere de jure, quo aqua constituta est, velut ex legato, vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos ferè tot usum se, non vi, non clam, non precario, possedisse*; cuius ratio

ratio videtur esse, quòd per hoc, quòd quis in alieno acquirat jus servitutis sibi debitæ, non præjudicetur dominio rei; consequenter ex usu diuturno facilius præsumatur continuata possessio, non juris, sed potius errore facti, ut colligitur ex L. 1. §. sed et si. ff. eod.

2458.

Dices: saltem in hoc casu necessaria erit scientia, & patientia domini; primò enim expresse dicitur: si aquam per possessionem eo sciente duxisti, ut habetur L. 2. C. de servitut. & aqua; 2. L. 16. ff. si servitus vindicetur, dicitur, si à te emi, ut mihi liceat ex ædibus meis in ædes tuas stillicidium immittere, & postea te sciente ex causa emptionis immisissum habeam, me ex hac causa utroque auxilio, & actionis, & exceptionis uti posse: 3. in dato casu requiritur patientia Domini; ergò etiam scientia; nam illa supponit istam. Anteced. est ex L. 6. ff. de acquir. poss. ibi: sed & si patiente eo edificavero, ego possessor ero effectus. Resp. N. illatum; ad 1. prob. Resp. ibi fieri mentionem scientiæ, non causa necessitatis, ut sine illa præscriptio servitutis non procedat; sed probationis, ne putetur clam facta, vel solum exprimendi speciem facti. Ad 2. Resp. ibi non agi de casu servitutis præscriptæ; sed empta, ac titulo empti possessæ; consequenter ex contractu, utique exigente scientiam vendentis. Ad 3. Resp. dist. ant. in dato casu requiritur patientia Domini, positiva. N. ant. privativa, seu negativa, C. ant. & N. conseq. ad prob. Resp. patientia positiva (domini, nimirum etiam eum scientia, quòd aliquid non debitum in se sua faciat alius) supponit scientiam C. negativa (quando scilicet præcisè re utenti nec clam, non vi, non precatio, nihil opponitur ab eo, cujus res est) supponit scientiam domini, N. dictam probat. hæc autem, non illa, necessaria est præscriptioni harum servitutum; quamvis etiam sufficiat patientia positiva, ut dicitur cit. L. 6. nec enim ex illa plus deducitur.

2459.

Ad 2. in n. 2454. Resp. negativè; nam istæ non præscribuntur nisi tempore immemoriali, intellige sine titulo; nam cum titulo præscribuntur & istæ longo tempore, non minus, ac habentes usum continuum; fatentur tamen DD. difficulter probari, quòd solum tempus immemoriale sine titulo sufficiat ad præscribendas servi-

tutes discontinuas; tamen enim L. 14. ff. de servitutibus, dicatur: servitutes rusticorum prædiorum corporibus accedere, incorporales tamen esse, & ideo usu non capi, vel ideo, quia tales sunt servitutes, ut non habeant certam, continuamq; possessionem; videtur tamen potius sequi, quòd nec tempus immemoriale sufficiat, quia sunt discontinuæ: nihilominus tamè videtur adhuc congruè probari; intelligendo ibi usucapionem jure veteri Pandectarum, quo supponebat pro acquisitione domini per continuationem veram possessionis; talis enim in servitutibus non est; unde ibi non negatur, posse acquiri jus servitutis possessione improprie dicta, seu quasi possessione (qualiter res incorporales possideri dicuntur) quòd id tempore ordinario quasi possessioni cum titulo, etiam Contrarii concedunt; idem concedendum erit possessioni tempore immemoriali; cum hæc stet loco alterius tituli: unde licet in his usus sit discontinuus; habent tamen æquè causam possidendi perpetuam; quam ubi usus est continuus.

Ex dict. collig. 1. ad servitutes mixtas, quæ nimirum ab aliqua re debentur personæ (cujusmodi est usus, habitatio, usufructus) præscribendas, sufficere titulum, & bonam fidem temporis ordinarii, nimirum longi; sine titulo, tricennalis; prima pars est ex L. fin. C. de præscript. longi temp. & constat ex n. 2457. Collig. 2. servitutes merè reales (quæ scilicet à re rei debentur) ut aquæductus, oneris ferendi, &c. sive habeant usum continuum, sive discontinuum (nimirum per intervalla, quia pendent ab actione hominis, ut est servitus itineris, transeundi, ducendi jumentum, vel currum, per fundum alterius) cum titulo præscribi tempore ordinario, secus sine titulo; tunc enim requiritur tempus immemoriale, saltem, ubi non requiritur positiva scientia domini, de qua num. 2458. quæ enim fiunt tempore, & usu discontinuo, difficilis adverti possunt à rei domini.

Not. autem, inter servitutes merè reales alias esse positivas (alii vocant affirmativas) in quibus tribuitur jus aliquid agendi circa rem alterius v. g. immittendi tignum in parietem vicini, jus eligendi Prælatum in Ecclesia, præsentandi in beneficio vacante, &c. alias negativas, in quibus datur

datur jus alium prohibendi, ne quid agat, v. g. vicinum, ne alius ædificet ne fenestram in suo pariete versus meum aperiat, &c. de quibus nota, ad ejusmodi servitutes, præscriptione acquirendas, possessionem præscriptioni necessariam, incipere à die, quo alter vel actionem positivè exercet circa rem alienam; vel alterum positivè prohibet ab agendo, ut dictum est.

DUBIUM VIII.

De præscriptione obligationum, & actionum.

2426. **I**nter actiones, & obligationes alicui competentes aliæ sunt, quæ nascuntur circa delictum, ex titulo civili, contractu, vel quasi contractu; aliæ, quæ ex delicto, v. g. adulterio, peculatu, &c. not. autem ex dict. debita rerum mobilium, computari inter mobilia; & immobilium, inter immobilia. Loquendo autem de obligationibus, & debitis, atque actionibus tam mobilium, quam immobilium quæ competunt loco Religioso, constat a n. 2398. quid de his dicendum. Videtur tamen duplex difficultas opponi. 1. est, circa actiones, & debita rerum mobilium; nam res mobiles etiam Ecclesiarum, præscribuntur triennio, nisi laborent vitio, ut dictum est supra; ergo etiam eodem tempore præscribuntur debita rerum mobilium, cum, ut diximus, numerentur inter mobilia; sed hujus contrarium passim traditur, nimirum debita rerum mobilium æquè, ac immobilium præscribi cum bona fide contra Creditores spatio 30. annorum. Ratio sumitur ex L. 3. C. de præscript. 30. ann. & L. 1. §. ad hac, C. de annali except. speciales quædam actiones enarrantur, quæ poterant in dubium vocari; ibi: *nemo itaque audeat, neque actiones familia heriscunda, neque communi dividundo, neque finium regundorum, neque pro socio, neque furti, neque vi bonorum raptorum, neque alterius cujuscunque personalis actionis vitam longiorem esse triginta annis interpretari.*

2463. Ab hac dispositione solum excipitur actio hypothecaria, quæ non nisi præscriptione 40. annorum excluditur, quando rem hypothecæ subjectum possidet ipse debitor, aut hæres ejus; credens, non es-

Tom. II.

se hypothecatam; si autem alius, qui nec sit debitor, nec Creditor, nec alterutrus hæres præscriptione decennali inter præsentem; vicennali inter absentes; de quo V. Lex cum notissimi. 7. C. de præscript. 30. annor. §. 1. ibi: *quamobrem jubemus hypothecariam persecutionem, quæ rerum movetur gratiâ, vel apud debitores consentium, vel apud debitorum hæredes, non ultra quadraginta annos, ex quo competere cœpit, prærogari, nisi conventio, aut ætas intercesserit: ut diversitas utriusque rerum persecutionis, quæ in debitorem, aut hæredes ejus, quæque movetur in extraneos, in solo sit annorum numero.*

Et §. 2. ibi: *Sancimus, donec communis debitor vivit, non posse creditori anteriori triginta annorum exceptionem opponi, sed locum esse quadraginta annorum præscriptioni, quæ, dum ille vivit, merito anterior creditor confidit, utpotè apud debitorem ejus possessione, per posteriorem creditorem, constituta. Ex quo autem in facta sua debitor decesserit, ex eo quasi suo nomine possidentem posteriorem creditorem merito posse triginta annorum opponere præscriptionem, & secundum hanc distinctionem computationem temporum adhibendam, ut ex persona quidem sua posterior creditor triginta annos, per quos ipse post mortem possedit, opponat. Sin autem conjungere voluerit suæ possessioni, quam post mortem debitoris habuit, etiam tempus, quo vivente debitore, vel ipse creditor, vel communis debitor detinuit, tunc quadraginta annorum exceptionis jura tractari, & quantum deest ad quadraginta annorum possessionem, per quam & ipse debitor creditorem repellere poterat, hoc se possedisse ostendat. Eodem jure pro temporum computatione observando, etsi posterior creditor anteriori creditori offerre debitum paratus est, & is creditor longævam possessionis præscriptionem ei opponere conatur. Ex hoc habetur, quod, si res possideatur ab alio secundo creditore, cui res postea etiam hypothecata fuit, iste quoque non præscribat, nisi 40. annis, vivente adhuc communi debitore: hoc autem mortuo, præscribit 30. annis; quod, si velit computare tempus, quo vixit debitor, requiruntur anni 40. ad præscribendum.*

2364.

LIII

Resp.

2465. Resp. fundamentum dicendi, actiones civiles tam reales, quam personales, & obligationes, seu debita rerum etiam mobilium, quæ per actiones exigì possunt, non præscribi contra Creditorem, etiam bona fide, nisi spatio 30. annorum, defumi communiter ex L. sicut in rem. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor. ubi dicitur, quòd sicut in rem speciales, ita de Universitate, ac personales actiones ultra 30. annorum spatium minimè protendantur: sed, si quares, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicunque actione, vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agentis triginta annorum præscriptio metuenda. Eodem etiam jure, in ejus persona valente, qui pignus vel hypothecam non à tuo debitore, sed ab alio per longum tempus possidente nititur vindicare. Quæ ergo antea non motæ sunt actiones, 30. annorum jugi silentio, ex quo jure competere ceperunt, vivendi ulterius non habeant facultatem.

2466. In hoc textu adverto. 1. quòd speciales actiones de universitate, ultra 30. annos non protendantur; 2. quòd pulsanti aliquem qualicunque actione, aut persecutione, opponi possit 30. annorum præscriptio; 3. idem esse, si rem hypothecæ subjectam non debitor, sed alius possideat, ut diximus paulò antè. 4. quòd si istæ actiones intra 30. annos, à die, quo ceperunt jure competere, motæ non sint, ulterius moveri non possint: his observatis mihi videtur. 1. vel non debere dici actiones rerum mobilium non contineri inter bona mobilia, ut tradit Haunoldus tom. 1. tr. 5. n. 317. & tamen vi dictæ legis sicut, non præscribi nisi tempore tricennali; vel non debere indefinitè dici eas annumerari bonis mobilibus, cum ipse concedat n. 238. hæc præscribi triennio.

2467. Placet autem limitatio, quam facit Pirhing h. r. n. 123. ubi tradit dictas actiones civiles tam reales, quam personales, seu debita rerum mobilium regulariter præscribi cum bona fide 30. annis; quod omnino verum est, cum hoc tamen addito, quod ibidem ponit: quambus aliqua minori tempore præscribantur; videtur autem posse hoc colligi ex ipsa L. sicut, ubi post ea, quæ retulimus ex ipsa num. præced. subjungitur: hæc autem actiones annis triginta continuis extinguantur, quæ

perpetuæ videbantur; non illa, quæ antiquis temporibus limitabantur; ergo lex aliquas excipit, quæ non excluduntur, seu non indigeant 30. annis; sed tantum illa, quæ speciales sunt, ut notavimus supra; & enarravimus n. 2462. ex L. 1. §. ad hæc C. de annali except. vel quæ aliàs perpetuæ erant.

2468. Altera difficultas est, an etiam actiones & obligationes contra Ecclesiam Romanâ inferiorem præscribantur tempore 30. annorum? Resp. actiones & obligationes rerum immobilium, contra talem Ecclesiam non præscribi, nisi tempore 40. annorum; ratio sumitur à n. 2398. intellige illas, quæ aliàs excluduntur præscriptione decennali, vel vicennali; si enim aliàs præscribuntur minori tempore, quam decennio, adversus Ecclesias præscribuntur eodem tempore, quo adversus privatos, ut constat ex Authent. quas actiones, junct. gloss. V. durantibus, de quo V. n. 2398. & sic videtur etiam intelligendum, quod dicitur, actiones civiles mobilium non præscribi, nisi 30. annis; nimirum illas, quæ aliàs non excluduntur præscriptione decennali, vel vicennali.

DUBIUM IX.

De præscriptione delictorum.

2469. Cùm etiam dentur quædam actiones procedentes ex delicto, exquæ criminales, breviter etiam de illis dicendum venit; & 1. quo tempore præscribatur accusatio criminalis? 2. an id procedat in quovis delicto? 3. an idem dicendum veniat de exceptione adversus accusationem criminalem? 4. à quo termino incipiat tempus, huic delictorum præscriptioni sufficiens? Ad 1. Resp. omnem accusationem criminalem tolli, & præscribi tempore vicennali per L. 12. ff. ad leg. Cornel. de falsis, ibi: querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicuti cætera quoquæ ferè crimina; hinc accusanti de crimine commisso ante 20. annos jam elapsos, rectè, ac efficaciter opponi potest exceptio 20. annorum; quod communiter etiam traditur de inquisitione; tametsi crimen sit notorium, vel confessatum.

2470. Ad 2. Resp. negativè; ut insinuat ipse textus in dicta L. 12. ibi: sicut

cætera quoque ferè omnia; igitur aliquæ criminales actiones sunt, quæ excluduntur minori tempore, quam 20. annorum; sic de jure communi crimen *peculatus* præscribitur *quinquennio*, L. 7. ff. ad leg. Jul. peculat. ibi: *peculatus crimen ante quinquennium admissum, objici non oportet*; idem est de actione, vel accusatione *Adulterii, stupri, incestus, lenocinii*, &c. intellige, quoad pœnam temporalem, ex L. 29. ff. ad leg. Jul. de adulter. ibi: *hoc quinquennium observari legislator voluit, si Reo, vel reæ stuprum, Adulterium, vel lenocinium objiciatur*. Quid ergo, si aliud crimen, si quod objiciatur, quod ex lege Julia descendit: ut sunt, qui domum suam stupri causâ præbuerunt, & melius est dicere, *omnibus admissis, ex lege Julia venientibus, quinquennium esse præstitutum*.

2471. Verum huic responsioni adhibenda est aliqua limitatio. 1. ut intelligatur, accusationem *Adulterii* tolli *quinquennio*, quoad pœnam *temporalem*, seu *legalem*; non autem *spiritualem*; hinc propter *Adulterium* semper peti potest *divortium*, nisi *Reo* ab innocente dimissum, aut aliâ viâ *jus divortii* extinctum sit. 2. ut etiam quoad *temporalem* pœnam procedat solum de *adulterio præcisè*, nimirum, sine *incestu*, vel *stupro*; ubi enim est cum *incestu*, requirit præscriptionem 20. annorum, ex L. *querelam, cit.* si autem cum *stupro*, seu *violentia*, nunquam præscribitur per dict. L. 29. §. *fin.* ibi: *eum autem, qui per vim stuprum intulit, vel Mari, vel feminae, sine præscriptione hujus temporis, accusari posse, dubium non est; cum eum publicam vim committere nulla dubitatio est*.

2472. Præter hoc, delictis, quorum accusatio, vel denuntiatio, perpetuo durat, seu nullo tempore præscribitur, annumeratur etiam accusatio *Apostasie*, L. *Apostatarum, C. de Apostatis*; ibi: *Apostatarum Sacri-legum nomen singulorum vix continuâ accusatione incesset, & nullis finitâ temporibus hujusmodi criminis arceatur inda-go; & crimen parricidii, L. fin. ff. ad legem Pompejam de parricid.* ibi: *eorum, qui parricidii pœnâ teneri possunt, semper accusatio permittitur; & hoc extendunt aliqui ad omnia crimina excepta, ut est crimen lætæ Majestatis, Hæresis, Assass-*
Tom. II.

finii, falsæ monetæ, Simonia, Abortus, suppositi partus, Concussionis.

Ad. 3. Resp. quod non; & hoc propter regulam generalem, ibi: *qua sunt temporalia ad agendum; sunt perpetua ad excipiendum*. Ad 4. Resp. quod à die commissi criminis, & non primum à die notitiæ, ut habet communior sententia (quamvis hoc posterius etiam non pauci, nec ignobiles teneant) quia regulariter præscriptiones, etiam ignorantibus currunt. Ad extremum nota, tametsi quædam actiones civiles ex criminalibus descendant, non tamen præscribi, sicut istas; sed tempore ipsis à jure constituto.

DUBIUM X.

De præscriptione feudorum, & emphyteusis.

2474. Quoad hanc materiam, quantum pertinet ad feudum, & emphyteusin Ecclesiasticam, quæstio proposita resolvi potest ex dictis; quoad alia feuda, quantum est ex libris feudorum, & seclusâ locorum consuetudine, vel pactis primæ concessionis adjectis, quæstio est. 1. an feudum à possessore bonæ fidei præscribat; contra verum Vasallum tempore ordinario? 2. an etiam in aliis casibus? 3. an præscriptio feudi contra verum Vasallum noceat etiam ejus filiis? 4. si quis per errorem investitus à vero domino possideat feudum bonâ fide tempore requisito? 5. si quis investitus esset per Procuratorem, qui per errorem credebatur habere mandatum speciale? 6. si quis possideret feudum ex titulo existimato, credens majores suos esse investitos? 7. an idem foret, si quis esset investitus à vero Vasallo, qui inconsulto Domino feudum alienavit? Ante respons. nota, quodlibet feudum contra quemcunque præscribi tempore immemoriali; id, quod tenet communis; quia in tali casu præsumitur titulus, & saltet non mala fides; quibus positis:

Ad. 1. Resp. affirmativè, nimirum inter præsentem decem; inter absentes viginti annis, supposito titulo comparationis, seu acquisitionis; ad 2. Resp. non nisi annis triginta; ratio sumitur ex lib. 2. feud. tit. 26. ibi: *si quis per triginta annos rem*
L III 2 aliquam,

aliquam, ut feudum, possedit, & servitium domino exhibueris: quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se iuri potest; excipe tamen, nisi constaret de mala fide; tum enim constaret de substantiali defectu præscriptionis legitimæ. Ad 3. Resp. affirmativè, si feudum sit hæreditarium; non autem, si ex pacto, & providentia; ratio sumitur ex differentia feudi hæreditarii concessi pro se, & heredibus quibuscunque tam suis, quam extraneis maribus; alterum autem conceditur solum pro se, & liberis, seu filiis, nulla mentione facta heredum, quæ talium; jus enim nullum transit in hæredem, nisi quod habet is, cuius hæres est; igitur si is, cuius hæres sunt liberi, hoc est, cui succedunt liberi jure solum hæditario, non ut liberi, sed ut hæres, completâ præscriptione contra se amisit feudum, nihil ad illos transmittit; aliud est de his, qui vocantur in feudum ex pacto & providentia; non autem, titulo hæditario; sed jure sanguinis, &c.

2476.

Ad 4. Resp. si dominus directus, errore ductus (puta ex præcedente aliqua promissione) investivit Titium; cum in re non deberet, feudum hoc à Titio præscribi cum bona fide, longo tempore; sic enim non deficit titulus, bona fides, & possessio per tempus jure definitum; quæ ratio militat in casu, quo quis investitus foret per Procuratorem, qui, justo investiti errore, credebatur habere mandatam speciale, ex quo patet ad 5. Ad 6. Resp. quod sic, quantum est ex tali titulo, si cætera non desint. Nam ad præscriptionem temporis ordinarii sufficit titulus existimatus per num 2367. Ad 7. Resp. quod sic, si foret possessor bonæ fidei; tunc enim non deficeret titulus coloratus, si justo errore sibi persuasit, Vasallum id posse; nam tali casu feudum, quæ tale 30. annis præscriberet contra ipsum dominum; colligi videtur ex l. 2. feud. tit. 42. §. Præterea. ibi: feudum alienatum non legitimè (nullâ obstante præscriptione) revocari potest; ergo secus; illâ obstante.



ARTICULUS ULTIMUS.

De impedimentis, & effectu præscriptionis.

NON est dubium præscriptionem sæpius impediri, ne vel incipiat legitimè; vel, si quidem rectè cepit, deinde vel aliquid deficiat, vel superveniat; ne continetur; vel deniquè per tempus aliquod suspendatur, eâ quidem lege, ut antè tempus cum eo, quo pendet præscriptio, non possit computari; sed solum cum subsequente, quo sublata est causa pendentis, & cursus hætenus impeditus, atque ut ajunt, sufflammat, rursus liber est.

q. i.

An præscriptio procedat contra non valentem agere?

DE hoc agitur L. i. §. ne autem, C. de annali exception. ubi dicitur: præscriptio non currit, non valenti agere de jure, hoc est, jure obviantè, vel prohibente illi actionem, contra quem præscriptio tendit. Hæc regula proficiscitur à ratione naturali, propter quam non est conveniens, ut is pœnam, vel jacturam patiat, qui nullam culpam, vel negligentiam in custodia rerum suarum, jure actionem, vel vigilantiam actionis inhibente, commisit; sic Baldus in Authent. Nisi triennale, C. de bonis mater. n. junctâ gloss. V. apparuerint. Unde Sichardus in Cod. l. 3. tit. 28. de inoffic. testam. in l. i. 4. & l. 6. n. 10. fol. 178. rectè docet, quod præscriptio non currat ei, qui non est negligens: at quando quis agere non valet de jure, non est negligens; quis enim inculare eos poterit, si hoc non fecerint, quod, etsi maluerint, minimè adimplere lege obviantè valebant; ut ait Imperator in cit. l. 1. §. 2. Ne autem. Ex hoc inferit Baldus in cit. Authent. Nisi, quod, si statutum dicit, ut eis currat præscriptio; qui sua debita non exegerint intra 10. annos, ei non currat præscriptio, qui agere impeditus est; quia illa regula est naturalis; nec naturalis æquitas patitur, ut ibi sit pœna, ubi

ubi non est negligentia? sic Baldus cit apud Barbos l. 14. axiomat. c. 64. n. 4.

2479.

Sic contra mulierem non currit præscriptio, si soluto matrimonio agat pro dote, durante matrimonio à Viro alienata; quia constante matrimonio per leges agere non potuit pro dote, nisi in unico casu, quo scivisset Virum vergere ad inopiam; Sichard. cit. in Cod. de jure dotium, tit. 12. l. 5. §. omnis autem, à n. 2. fol. 615. Sic contra annalem actionem injuriarum non præscribitur, estò annus à diè illatæ injuriæ elapsus sit, si injuriatus primum habuit notitiam injuriæ ab uno, vel altero mense; quia prius agere non valuit; Sichard. cit. quia est de substantiâ injuriæ, revocatam esse ad animum, seu innovasse.

2480.

Ex hoc collig. 1. quando quis per leges impeditur ab agendo certo tempore, eo tempore præscriptionem non currere, ut patet ex cit. l. 1. sic Ludovic. Gomez ad §. Rursus Instit. de actionibus. n. 14. apud Barb. n. 3. Collig. 2. quòd illa regula (non valenti, seu impedito agere) procedat in impedimento juris; sic Arctinus in L. pãtã novissima. 10. l. 2. C. de pactis, apud Barbos. cit. n. 3. Jafon in §. Item si quis in fraudem, Instit. de action. n. 87. Pithing, de præscripti. n. 132. ubi impedimentum juris explicat, per impedimentum intrinsicum. Nam contra non valentem agere solùm propter impedimentum extrinsecum, seu facti, currit præscriptio; nam lex i. cit. clarè loquitur de impedimento per legem; hoc tamen corollarium sic aliqui generaliter admittunt, ut procedat sive impedimentum facti sit justum, & sine culpa; sive injustum; ex §. Rursus. Instit. de actionib. ita tamen, ut juste impeditus restituatur in integrum per L. 1. ff. ex quibus causis majores; sic Abbas in c. Ex transmissa, de præscripti. n. 13. Felini. ibid. n. 8. Cæterum Barbosa in cit. c. Ex transmissa, n. 6. judicat, impedimentum facti generale, & notorium quoad effectum impediendi cursum præscriptionis, æquivalere impedimento justis, quibus positis:

2481.

Si ab initio præscriptionis is, contra quem tendit præscriptio, de jure non valet agere præscriptionem contra illum non posse inchoari? si post legitime inchoatam, de jure non possit agere, toto eo

tempore præscriptionem dormire? de quo in seqq. Unde hæc regula, quòd tali casu præscriptio non currat, applicanda est, ubi præscriptio legitime cœpta est; ubi autem statim ab initio is, contra quem præscriptionem quis inchoare vult, agere non valet, rectius dicitur non procedere, hoc est, non inchoari legitime; sicut, si ab initio præscribens careat vel bonâ fide, vel legitimâ possessione; ut jam dictum est supra; quia tunc non tam dicitur non currere (cum non inceperit) quam non inchoare.

§. II.

Quando præscriptio dormiat?

PER dormitionem præscriptionis, ut notavimus n. 2786 intelligitur ejusdem interquiescentia, quando scilicet ejus cursus sistitur quidem, sic tamen, ut elapsum tempus non in nihilum recidat, seu nihil profit; sed ut cessante causâ dormitionis, seu interquiescentiæ, antèrius & elapsum ante tempus (dormitionis tempore subtracto) conjungatur cum posteriori, & cum illo fiat unum ad completandam præscriptionem; ut notavimus n. cit. Hinc, si quis fundum alienum bonâ fide, ac requisito titulo possedit octennio & sub hoc is, cujus est fundus, jure impediatur agere quadriennio; toto hoc quadrienniali tempore dormiret præscriptio; si tamen elapso quadriennio cessaret causa impedimenti, propter quod jure prohibitus fuit dominus ab actione, & præscribens continuaret subsequenti biennio possessionem ut antè; hoc biennium, cum priori octennio conficeret possessionem longi temporis, sufficientem ad præscriptionem rei immobilis inter præsentès, si non laboret aliò vitio.

2482.

Si quæras, quando præterea censetur dormire præscriptio? Resp. quòd si tendat contra Ecclesiam, dormiat toto tempore vacantis Ecclesiæ, ac Schismatis? constat ex c. quarta. 4. h. i. ubi dicitur, quartam decimarum, & funeralium præscribi contra Episcopum 40. annis, nisi forte inierim pastoralis sedes caruisset pastore; quâ jura Ecclesia sua exigere debuisset; 2. ex c. auditis. 15. eod. ubi dicitur, quòd Prælati inferior possit præscribere in certis

2483.

Ecclesiis sine dieccesis totum jus Episcopale, subducatur tamen de prescriptione tempus, quo vacavit Ecclesia cathedralis.

2484.

Secundò dormit tempore grassantis pestis, favientis belli, & hostilitatis, ut habetur 16. q. 4. c. *primâ actione*. 13. ibi: sicut enim per legem mundialem iis, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio, non aliter & Ecclesia receptura est Parochiam, quam ante tenuit cum rebus suis: sive ab aliis Ecclesiis possideatur, sive in cujuslibet possessionem transfusa sit. *Non enim erit obijcienda prescriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis?* id, quod etiam statuit Joannes Papa VIII. ut habetur ead. 16. q. 4. c. *Porro* 14. & c. *Ex transmissa*. 10. h. t. ibi: mandamus, decimas, & oblationes cum aliis obventionibus memoratæ matrici Ecclesiæ) *prescriptione hostilitatis tempore non currente* (restitui faciat; sic Lucius III.

2485.

Tertiò dormit toto tempore, quo vivit Ecclesiæ Prælatus, qui eam læsit; sic habetur ead. 17. q. 4. c. *si Sacerdotes*. 10. ibi: si Sacerdotes, vel Ministri, dum gubernacula Ecclesiarum administrare videntur, contra Patrum sanctissimas sanctiones de rebus Ecclesiæ definisse aliqua dignoscuntur, *non ex die, quo talia scribendo decreverunt; sed ex quo talia moriendo definita reliquerunt, supputationis ordo substabit. Nunquam enim poterit ad tricennium temporis pertinere vita irritè hoc judicantis quia status contractuum in vita non sumpsit ab origine aequitatis.*

2486.

Quartò dormit toto tempore, quo quis rem habet sibi concessam precario, per L. 13. §. 7. *de acquirend. poss. ff.* ibi: *si is qui precario concessit, accessione velit uti ex persona ejus, cui concessit, an possit, queritur? ego puto, cum, qui precario concessit, quamdiu manet precarium, accessione uti non posse: si tam receperit possessionem, rupto precario, dicendum esse, accedere possessionem ejus temporis, quo precario possidebatur.* Sed not. hanc dormitionem esse diversam ab aliis; in istis enim tempus dormitionis simpliciter subducitur; in illa autem rupto precario possessor accessione utitur, & prescribit; quod tamen difficultate non caret; cum possidens precario rem possideat solum natura-

liter, per L. 15. §. *eum, qui, ff. de precario*; non civiliter. Sed hoc Legistarum est.

Quintò, si Ecclesia caret defensore; nam tunc status Ecclesiæ mutari non debet, *cum non sit, qui Episcopale jus tueatur, c. Novit*. 1. Ne Sede vacante; & *Constitutis*, fin. eod. ibi: Nos igitur depositiones testium, qui vacante Burginæ Ecclesiæ, & carente legitimo defensore fuerunt recepti, duximus reprobandas. Idem est, si Prælatus agere non possit, jure prohibitus, puta Excommunicatione, Suspensione, Captivitate, &c. constat ex n. 1478. Sextò dormit, quando tendit contra Pupillum, ut non computetur tempus ætatis pupillaris, ut dicitur L. *sicut*. 3. *de prescript.* 30. vel 40. annor. &c.

§. III.

An, & qualiter prescriptio impediatur interruptione?

EX n. 2383. constat prescriptionem dupliciter interrupti, *naturaliter, & civiliter, ut ibidem expositum est; naturaliter* interrumpitur 1. si possessione bona fide cœptæ, supetveniat mala fides; ex n. cit. non autem, si solum dubium negativum, ex n. 2358. 2. si resolvatur titulus, ut contingit in pacto commissorio, vel additione in diem L. 19. ff. de usucapi. 3. si civilis possessio interrumpatur; vel domino directo rem det pignori, vel locet, aut precario concedat; L. 5. ff. de usucap. L. 4. ff. eod.

Civiliter autem interrumpitur 1. per sententiam condemnatoriam; 2. per litis contestationem; 3. quandoq; per solam possessoris citationem, vel etiam extrajudicalem denuntiationem, subscriptione Tabellionis, vel trium testium munitam; id quod aliqui volunt ex L. 2. C. de annuali except. cujus verba sunt: *sancimus, si quando absuerit is, qui res alienas, vel creditori obnoxias detinet, & desiderat dominus rei vel creditor suam intentionem proponere, & non ei licentia sit, absente suo adversario, qui rem detinet, vel infantiâ, vel furore laborante, & neminem Tutorem vel Curatorem habente, vel in magna potestate constituto, sua auctoritate eas res usucapere licentia ei detur adire*

sive præsidem Provinciæ, vel libellum ei porrigere, & in hoc in querimoniam deducere intra constituta tempora, & interruptionem temporis facere, & sufficere hoc ad plenissimam interruptionem.

Subjungitur deinde: Sin autem nullo potuerit modo præsidem adire, saltem ad locorum Episcopum eat, vel defensorem civitatis, & suam manifestare voluntatem in scriptis deproperet; sin autem abfuerit vel præses, vel Episcopus, vel defensor civitatis, liceat ei proponere publicè, ubi domicilium habet possessor, seu cum tabulariorum subscriptione, vel si civitas tabularios non habeat, cum trium testium subscriptione, & hoc sufficere ad omnem temporalem interruptionem, sive triennis, sive longi temporis, sive triginta, sive quadraginta annorum scilicet. Omnibus alijs, quæ de longi temporis præscriptione, vel triginta vel quadraginta annorum curriculum constituta sunt, in suo robore duraturis.

2490.

His accedit L. 10. C. de acquirend. possess. ubi dicitur: non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causa in iudicium deducta, super iure possessionis vacillet, & dubitet; item L. Sed etsi, & si ante, ff. de heredit. petit. ibi: post litem contestatam omnes incipiunt mala fidei possessores esse.

2491.

Ex dictis legibus habetur 1. in dicta L. 2. contineri exceptionem casuum ab illis regulis, quibus aliquæ præscriptiones civiliter non interrumpuntur; 2. Legem 10. non debere accipi, tanquam talis verè amittat possessionem; sed solum quadam juris fictione censei non possidere, sub conditione, si res per sententiam evincatur ab Actore contra Possessorem; aliàs enim secuta Possessoris absolutione, tempus à die litem contestatæ illi subducendum foret; eodem modo intelligendum venit, quod dicitur in L. sed etsi; nam in te, ac Theologicè, illud: omnes post litem contestatam incipiunt mala fidei possessores esse, falsum est, ut notavimus supra; sed solum præsumitur mala fides, quæ præsumptio in foro animæ, præsertim in perceptione fructuum, nihil operatur; ac etiam eliditur secuta sententia pro Possessore.

2492.

Quia tamen jus præscriptionis pendet à jure positivo, ex eodem resolvendum

erit, quando litem contestatione interrumpatur civiliter præscriptio? quare not. 1. triennalem præscriptionem non interrumpi civiliter litem contestatione, dispositione juris civilis, L. 2. ff. pro emptore, §. 21. ibi: si rem alienam emerò, & curà usucaperem, eandem rem dominus à me petierit, non interpellari usucapionem meam litem contestatione; hinc perfici potest etiam, durante lite; sic tamen, ut quamvis post lapsum interea triennium, adversus possessorem sententia lata sit, res possessa restitui debeat ei, pro quo iudicatum est, non habità ratione usucapionis; dict. L. 2. & L. Julianus 9. §. Proinde. ff. ad exhibendum. L. si post acceptum. 18. ff. de rei vindicat. nam hæc triennalis præscriptio valde favorabilis est, & in favorem possidentis introducta.

2493.

Not. 2. præscriptionem longi temporis cum titulo colorato interrumpi civiliter per litem contestationem coram Iudice competente; non autem per solam citationem, L. mora litem. 26. C. de rei vindicat. ibi: mora litem causam possessoris non instruunt ad inducendam longæ possessionis præscriptionem, quæ post litem contestatam in præteritum aestimatur. Unde infertur, idem esse dicendum de præscriptione 30. annorum sine titulo, nam ex defectu tituli, propter excessum, temporis, comparatur præscriptioni longi temporis.

2494.

Hoc tamen videtur intelligendum, de interruptione solum ficta, vel præsumpta, vel potius de quadam præscriptionis suspensione, vel interquiescentia; nam possessor per sententiam absoluto, per litem contestationem non interrumpitur præscriptio; quia effectus iste pendet ab eo, tanquam à conditione, quod Actor, qui litem movit, in causa non succubuerit: tunc enim interrumpitur; sic Molina D. 78. n. 14. & alii; quod etiam procedit, si ex circumstantiis constaret, & à Iudice prudenter judicari posset, Actorem dolo litem movisse ad prolongandam præscriptionem; colligitur ex L. ult. C. de præscript. 30. annor. ibi: sæpe quidam suos obnoxios in iudicium vocantes, & iudicialiis certaminibus ventilatis non ad certum finem lites perducebant; sed taciturnitate in medio tempore adhibitâ, propter potentiam fortè fugientium, vel suam imbecillitatem, vel alios quoscunque casus

casus (cùm fortes humanæ multæ sint) qui nec dici, nec numerari possunt, deinde jure suo lapsi esse videbantur, eo quòd post cognitionem novissimam triginta annorum spatium effluxerit, & hujusmodi exceptione oppositâ, suas fortunas ad alios transtatas videntes, meritò quidem sine remedio antè lugebant. Quod nos corrigentes eandem exceptionem, quæ ex triginta annis oritur, in hujusmodi casu opponi minimè patimur; non autem si litem contestatus sincerè, deinde justa de causa non prosequitur, ut colligitur ex allatæ *L. fin. C. de præscript. 30. annor.*

2495.

Not. 3. præscriptionem improprie dictam (qua scilicet debitor, sciens se obligatum intendit actionem debiti præscribere contra Creditorem, seu se à solutione liberari) solâ citatione interrumpi, *L. 7. C. de præscript. 30. annor.* ibi: *nisi conventio intercesserit*; & quidem æquissimè, cùm tali conventionem jam cesset taciturnitas, & silentium, cui talis præscriptio innititur.

2496.

Not. 4. per excommunicationem in Bulla Cænæ contentam, & singulis annis promulgari solitam, adversus occupantes, & detinentes bona Ecclesiæ Romanæ, non interrumpi præscriptionem; quia bonæ fidei possessor non excommunicatur; sed malæ fidei detentor: non ergo per illam sententiam inquietatur ullo modo bonæ fidei possessor, qui rectè judicat, eam sententiam ad se non pertinere. Unde quando dicitur, illam excommunicationem, esse quandam extrajudicalem motionem, æquivalentem litis contestationi; Resp. esse monitionem solùm *generalem*; non *particularem* alicujus personæ; illam verò non æquivalere litis contestationi.

2497.

Not. 5. per impetrationem privilegij, quod est contrarium præscriptioni, præsumi præscriptioni, si jam completa est, renunciari; si autem nondum completa fuit, interrumpi, & cursum ejus sisti, quòd præsumatur mala fides, *c. veniens. 19. h. t.* ibi: *nec obstare poterat præscriptio, quam idem Abbas in suum subsidium opponebat: quia, si consummata erat, quando ab Alexandro Papa privilegium impetravit, juri præscriptionis renuntiâsse videtur*, præsertim eum coram vobis privilegio illo sit usus, quod suæ intentioni (quantum ad

hunc articulum) contradicit. Si verò nondum consummata erat præscriptio, sed erat in præscribendo *post impetratum hujusmodi privilegium bonam fidem non habuit*: & idè secundum Canones non præscripsit.

2498.

Not. 6. remedium restitutionis in integrum, in certis casibus, concedi contra præscriptionem etiam longissimi temporis, completam; & quidem ob solam læsionem datur minoribus 25. annis, & hoc intra quadriennium continuum, post expletum annum ætatis XV. usquè ad expletum XIX. computandum à die præscriptionis completæ, ac à Minoribus cognita; per *L. unic. C. si advers. usucap. L. ult. C. de temp. restit. in integr. & L. fin. C. in quibus causis restit. in integr.* 2. etiam Ecclesiis, ut tradit Covarr. in reg. *Possessor. p. 3. §. 3. n. 4.* ut colligitur ex *c. Auditis. 15. h. t.* 3. etiam Majoribus 25. annis; sed solùm ex justa causa, per *L. 1. ff. ex quibus causis Majores*; & *L. fin. C. de in integr. restit.* An autem etiam ex causa invincibilis, & justæ ignorantie; sub opinione est; negante Fachinæo *l. 1. c. 69.* affirmante Covarr. cit.

2499.

Not. 7. effectum præscriptionis legitimæ, principalem, esse, quòd possessorem, non tantùm in foro fori reddat securum, contra actionem domini rei præscriptæ, repellendam exceptione præscriptionis oppositâ, ut notavimus *n. 2369. & 2275.* sed etiam in foro poli sic, ut tutâ conscientia deinceps retineat rem, vel jus præscriptione acquisitum, de quo egimus à *n. 2277.* Quæ verò pertinent ad differentiam præscriptionis centenariæ, ac temporis immemorialis, quoad primam partem constant à *n. 2398.* quoad secundam:

2500.

Not. 8. præscriptionem *immemorialem* non rectè confundi cum *centenaria*. Nam, ut tradit Pereyra in *Elucidar. num. 707.* ex Molina *d. 76. immemorialis possessio* (idem est de præscriptione) est illa, cujus initium excedit memoriam senum (qui modò sunt) etiam ex auditu, & traditione suorum antecessorum, quamvis constet eam cœpisse post longissima tempora, qualia fuere Regis Pelagii in Hispania; nam post illa cœperunt majoratus, & tamen multi eorum dicuntur possessionis immemorialis; quo fit etiam infra centum annos fieri posse, quòd de initio al-

cujus

cujus rei non detur memoria in viventibus, & de eodem etiam completis centum annis haberi possit memoria. Qualiter autem probetur *immemorialitas*, colligitur ex glossa in c. 1. de prescript. in 6. V. Memoria, requirente juxta communem Doctorum seqq. 1. quod testes sint ad minimum annorum quinquaginta quatuor, & de quadraginta annis testificentur; 2. quod testes necessariò dicant, communem opinionem esse, quòd de contrario usu non existat memoria; 3. quòd te-

stes ita semper viderint, & audiverint à suis majoribus. 4. quòd nunquam fuerit observatum contrarium. Probatà porro immemorialitate possessionis præsumitur possessor talis processisse ex titulo legitimo, & bona fide, nisi aliundè probetur oppositum; an autem habeat vim *privilegij*, etiam in his, quæ Principi sunt reservata? esto affirmet Haunoldus tom. 1. de Just. tr. 5. n. 319. de hoc tamen jam alibi dictum est, non procedere indefinite.

QVÆSTIO XXVII.

IN TIT. XXVII. DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

2501. **S**ententia Judicis sequitur ad processum in causa, discussis ritè probationibus, & exceptionibus, quæ per decursum judicij intervenerunt. His enim ritè deductis, ac perpensis, concluditur, cui parti res adjudicanda, cui neganda sit? atque id ipsum per *sententiam* Judicis pronuntiatur; & quoniam, ubi contra talem *sententiam* appellatum non est, eadem transit in rem iudicatam; præcedentibus titulis de judiciis, probationibus, ac exceptionibus; rectè tum in secundo decretalium, tum in sexto, & Clementinis subnectitur titulus de *sententia, & re iudicata*.

ARTICULUS I.

De sententia.

2502. **S**ententia in genere, sumitur pro iudicia, seu judiciali pronuntiatione, quæ oritur tum ex lege, vel ex bono, & æquo, tum ex iudice, quando hic sancit, vel declarat, quid jus velit; secundum facti qualitatem: & dici potest quodcunque *judicantis* præceptum, non *natura*, non juri, non bonis moribus contrarium; si verò sententia *judicialis* accipiatur presè, apud Juris Consultos ex L. 1. ff. de re iudic. sic definitur: *est pronuntiatio Judicis, finem controversiæ imponens, absolute, vel condemnatione*.

2503. Sententiæ judicialis divisio est in *definitivam*, & *interlocutoriam*. *Definitiva* apud Modestinum in L. 1. ff. de iudic. di-
Tom. II.

citur illa, quæ *res iudicata finem controversarum, pronuntiatione Judicis, accipit*, quod, vel condemnatione, vel absolute contingit. *Interlocutoria dicitur, quæ inter principium, & finem cause, super incidentibus questionibus, fertur*: veluti de exhibendo, vel corrigendo libello, de danda, vel deneganda dilatione & similibus, c. *significantibus*, de Offic. deleg. c. *significaverunt*, de testib. & de his aliquid diximus à n. 179. Repertitur & alia, apud Juris peritos, *sententia* quæ dicitur *Conventionalis*, & est amicabile compositio; ut quando Judex convenit aliquem, & monet eum, ne faciat contra conventionem. Denique *laudum* est sententia Arbitrorum super eo, ad quod de consensu partium pronuntiantum, fuerunt electi. *Responsa*, ubi Gloss. Instit. de jur. nat. gent. & civil. quidquid sit de voce illa, quam aliqui dicunt *barbaram*. Quoniam vero etiam sententia alia est *justa*; alia *injusta*, ideo pro hujus divisionis intelligentia hic re-colenda sunt, quæ diximus à n. 181.

Sententiæ appellatione in dubio venit *definitiva* sicut Socin. conf. 39. col. 2. vol. 4. Alex. conf. 50. Visis actis n. 2. l. 2. & Scaccia de appellat. quest. 17. limit. 6, n. 7. & 30. Appellatione *sententiæ* non contineri *interlocutoriam* (quasi non sit propriè sententia) videntur sentire Gloss. V. *definitiva*, Clem. I. de sequest. possess. & alii, quos refert Menoch. remed. 8. recuperat. n. 84. contrarium tamen defendit Ludov. n. 84.

M m m m

Go-